DE EVRIPIDIS ORESTE

Dissertatio inauguralis

quam ad summos in philosophia honores
ab amplissimo philosophorum ordine Halensi
rite capessendos

scripsit

Vernerus Krieg
Halensis

Halis Saxonum 1934
Typis expresserunt Gebauer-Schwetschke

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt proff. ordd.
Otto Kern D. theol. h. c. Dr. iur. h. c. Dr. phil.
Ernestus Diehl Dr. phil.

Examen rigorosum habitum est a. d. VII Kal. Mart. 1933.

Typis expressa est haec dissertatio stipendio quod in memoriam Henrici Keil est conditum liberaliter sublevante.

R. UNIV. BIBLIOTHEEK LEIDEN

Parentibus carissimis

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41534918_0059

Conspectus dissertationis.

Praefatio.

Quotquot viri docti vel doctissimi operam ac studium in Euripidis fabulas contulerunt, tamen Orestes quidem iusto amplius neglecta esse mihi videtur. longius sane haec fabula ab ea tragoediarum forma, quam plurimi usque ad hoc tempus veram et unicam putabant, recedit, quam ut crebro tractaretur vel, si modo tractabatur, interpretationes effugeret falsissimas. namque etiam ea, quae duo viri de tragicis Graecis optime meriti — Ioannem dico ab Arnim et Maximilianum Pohlenz — novissime de Oreste exposuere, mea quidem sententia tam gravibus abundant erroribus, ut quaestio de hac fabula funditus instauranda videatur. quam quaestionem etsi timeo, ut sustinere possim, tamen quae mihi in mentem venerunt, hoc loco, quantulacumque sunt, proferam. confido vero mihi contigisse, ut multos errores late pervulgatos dissolverim, observatiunculas protulerim novas, iis, qui posthac de Oreste acturi sunt, comparaverim subsidia. quamquam ipse non ignoro me, cum praecipue hanc fabulam ab aliorum pravis opinionibus defendere studerem, nonnullas res iam pridem a viris doctis recte administratas nimis breviter adstrinxisse.

Quodsi Oresten recte intellegere volumus, inde nobis est proficiscendum, quod in numero recentissimarum Euripidis fabularum est; etenim cum teste scholiasta (ad 371) anno a. Chr. n. 408 acta sit, ex ultima est tetralogia, quam Euripides, priusquam in Macedoniam proficisceretur, Athenis docuit. de ceteris huius tetralogiae fabulis nihil traditum est, quamquam Wilamowitzius non sine ulla probabilitate coniecit Antiopam eodem anno in scaenam esse delatam[1]). sed quaesiverit quispiam, quanto temporis ante quam ageretur Orestes condita sit. cui primum respondebimus non modo omnes fabulas, quae qua aetate scriptae sint, cognoscere possumus, paulo post confectionem in scaenam productas esse, verum etiam Orestes ut ab Euripide facta sit sene, e forma canticorum, stichomythiis longius prolatis, usu tetrametrorum multisque aliis rebus sequi. at Orestis aetatem accuratius me definire posse credo. nam si infra (p. 57) recte statuemus Euripidem versibus 174 sqq.

[1]) Cf. Schaal, De Eur. Antiopa (Diss. Berol. 1914) p. 51 sq.

exemplum Philoctetae Sophocleae expressisse, Orestis parodum eo uno anno, qui inter Philocteten doctam et Oresten docendam interiectus erat, scriptam esse apparet; neque habemus, cur hanc parodum ceteris fabulae partibus iam perfectis inculcatam esse arbitremur. totam igitur fabulam ultimo priusquam ageretur anno compositam esse mihi persuasi.

Sed antequam de re ipsa agere instituo, de libris a me adhibitis pauca dicam. editionibus usus sum Aeschyli ab Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, Sophoclis ab A. C. Pearson, Euripidis a Gilberto Murray curatis; brevitatis causa Euripidis fabulae plerumque sine auctoris nomine, Orestis versus sine tragoediae titulo afferuntur. quod Orestis editiones notis instructas attinet, praecipue inspexi has:

Euripidis Hec., Or., Phoen. et Med., em. Ric. Porson, ed. III., Lips. 1824,
Euripidis tragoediae, rec. God. Hermannus, vol. III 1, Lips. 1841,
Euripides' Werke, erkl. v. I. A. Hartung, Bd. IV, Lips. 1849,
Euripidis tragoediae, rec. et comm. instruxit Reinh. Klotz, vol. III 1, Goth. et Erf. 1859,
Sept tragédies d'Euripide, avec un commentaire crit. et explic. par H. Weil, ed. II., Paris. 1879,
Euripides' Orestes, mit erklär. Anm. von Nicol. Wecklein, Lips. et Berol. 1906.

praeterea Oresten ab Ioanne ab Arnim in linguam vernaculam conversam adhibui: Zwölf Tragödien des Euripides, übers. v. H. v. Arnim, vol. II, Vind. et Lips. 1931, p. 401 sqq. in scholiis Euripideis laudandis me Schwartzii editionem secutum esse consentaneum est.

Hactenus de editionibus. iam commentationes, e quibus fructum aliquem cepi, enumerabo; sigla autem, quibus in his scriptis commemorandis usus sum, uncis inclusa adiciam.

Egerunt

1) de quaestionibus quae ad tragicos Atticos spectant generalibus:

P. Friedländer, Die griech. Tragoedie u. das Tragische, Die Antike I 5 sqq. et 295 sqq., II 79 sqq., (= Friedl.)
E. Howald, Die griech. Tragoedie, Mon. et Berol. 1930 [recensuit Schadewaldt, Gnomon 8 (1932) 1 sqq.],
M. Pohlenz, Griech. Tragoedie, Lips. et Berol. 1930, (= Pohl.)
U. de Wilamowitz-Moellendorff, Einleitung in die griech. Tragoedie, ed. III., Berol. 1921, (= Wil., Einltg.)

id., Die griech. Tragoedie u. ihre drei Dichter (Griech. Tragoed. fasc. XIV), Berol. 1923, (= Wil., Gr. Trag.)

2) de rebus quae huc spectant singulis:

A. Dieterich, Die Schlafszenen auf der attischen Bühne, Mus. Rhen. 46 (1891), p. 25 sqq. = Kl. Schriften 48 sqq.,
H. Fischl, De nuntiis tragicis, Dissert. Vindob. X (1910),
A. Groß, Die Stichomythie in d. griech. Trag. u. Kom., Berol. 1905,
H. Harries, Tragici Graeci qua arte usi sint in describenda insania, Diss. Kil. 1891,
W. Kranz, Stasimon, Berol. 1933,
K. Listmann, Die Technik des Dreigesprächs in d. griech. Trag., Diss. Giss. 1910,
W. Nestle, Die Struktur des Eingangs in d. att. Trag. (Tüb. Beitr. 10), Tub. 1930,
W. Schadewaldt, Monolog u. Selbstgespräch (Neue Phil. Unters. II), Berol. 1926, (= Schad.)
F. Solmsen, Zur Gestaltung des Intriguenmotivs in den Trag. des Soph. u. Eur., Philol. 87 (1932), p. 1 sqq.
[recensuit Radermacher, Anz. d. Ak. d. Wiss. in Wien, phil.-hist. Kl., 1932, p. 1 sqq.],

3) de Orestis ratione atque indole:

I. ab Arnim, l. l. 446—50,
E. Bruhn, Sophokles' Elektra erkl. v. Schneidewin-Nauck, ed. X., Berol. 1912, p. 26 et 30—35,
I. Geffcken, Griech. Literaturgesch., vol. I, Heidelb. 1926, p. 212 sq.,
E. Howald, l. l. 167—71,
C. Huemer, Das trag. Dreigestirn u. seine modernen Beurteiler, Vind. et Lips. 1930, p. 70—73 et 74,
G. Murray, Euripides and his age, Lond. 1919, p. 157—63,
M. Pohlenz, l. l. I 441—51,
H. Steiger, Wie entstand der Or. des Eur.?, Progr. d. Gymn. bei St. Anna zu Augsburg 1897—8, (= Steig., Progr.)
id., Euripides, Seine Dichtung u. seine Persönlichkeit (Das Erbe der Alten V), Lips. 1912, p. 31—41, (= Steig., Eur.)
U. de Wilamowitz-Moellendorff, Die beiden Elektren, Herm. vol. 18 (1883), p. 240 sq.,

4) de mythis in Oreste adhibitis:

L. Radermacher, Das Jenseits im Mythos der Hellenen, Bonnae 1903, p. 125—40, (= Raderm., Jens.)
C. Robert, Bild u. Lied (Phil. Unters. V), Berol. 1881, p. 149—91, (= Rob., B. u. L.)

id., Griechische Heldensage, ib. 1926, p. 1302—27,
(= Rob., Heldens.)

K. Seeliger, Die Überlieferung der griech. Heldensage bei Stesichoros, Progr. Meißen 1886,

I. Vürtheim, Stesichoros, Ludg. Bat. 1919, (= Vürth.)

U. de Wilamowitz-Moellendorff, Aischylos' Orestie II, griech. u. deutsch, Berol. 1896, p. 1 sqq. et 246 sqq., (= Wil., Cho.)

id., Aischylos, Interpretationen, ib. 1914, p. 189—93,
(= Wil., Interpr.)

Th. Zielinski, Die Orestessage u. die Rechtfertigungsidee, Neue Jahrb. II (1899), p. 81—100 et 161—85, (= Ziel., Jahrb.)

id., Tragodumenon libri tres, Cracov. 1925, (= Ziel., Trag.)

5) de singulis Orestis locis:

U. de Wilamowitz-Moellendorff, Lesefrüchte CLXXXII, Herm. 59 (1924), p. 254—62: de vv. 456—724,

G. Pasquali, Un cantico dell' Oreste Euripideo, Athenaei vol. VIII (Paviae 1930), p. 72—76: de vv. 960—1012,

L. Radermacher, Über eine Szene des eurip. Orestes, Mus. Rhen. 57 (1902), p. 278—84: de vv. 1369—1536.

Commentationes, quae, quod Oresten attinet, minoris sunt momenti, suo loco laudabuntur; Wilamowitzii autem libros nulli ignotos brevitatis causa notis simplicissimis usus commemorabo.

Quo munere perfecto progredimur ad quaestionem ipsam; ac primum quidem inspiciamus Orestis argumentum.

Caput I:

De argumento.

Iam argumentum huius fabulae singulis rebus omissis ita enarremus, ut ductus actionis appareat. — prima quidem pars tragoediae, ut par est, expositionem quam vocant continet; quo omnia pertinent, quae Menelai adventum praecedunt. sicut enim in aliis tragoediis in hac quoque duae sunt factiones, quarum alterius dux est Orestes, alterius Menelaus. itaque cum ille iam inde ab initio in scaena adsit, Menelaus simulatque advenit, actio incipit. sed iam videamus, quibus de rebus hac parte prima a poeta doceamur. geritur Orestes fabula Argis[1]) ante fores regiae Pelopidarum sexto postquam Clytaemestra interfecta est die (39, 422). qua et Aegistho occisis Orestes non, ut in Aeschyli Choephoris et Electra Euripidea, statim e patria discessit, sed gravi morbo animi et corporis affectus Argis remansit. hanc illius condicionem ut quam vividissime nobis repraesentet, summa ope nititur poeta et infirmitatem aegrotantis non minore arte depingit quam impetum insaniae. sed ad hunc miserum Orestis statum accedit mortis periculum; nam Argivi non modo eum Electramque nec domum recipiunt nec dignos habent appellatione, verum etiam hoc ipso die iudicium capitis de iis facere in animo habent. quo in discrimine omnis spes salutis in Menelao posita est, qui multos post errores Naupliam navem appulit et Helenam iam noctu clam in regiam praemisit. haec sunt gravissima, quae poeta quasi fundamenta tragoediae subiciat; nec tamen sunt omnia: Hermionam enim Helena ad Clytaemestrae tumulum mittit, ut illi inferias afferat. quam missionem a poeta nulla alia causa nisi, ut insidias

[1]) In prologo uniuscuiusque fabulae poeta, quo loco geratur, aperte dicere debet. et dicit Euripides v. 46 ἔδοξε .. Ἄργει τῷδε. hoc Argos quin non terram, sed urbem ostendat, versu 49 collato dubium non est (cf. 875 sq.); Aeschylum igitur, qui in Orestia Argos pro Homeri Mycenis — et lyricorum Amyclis — substituit, sequitur Euripides; sane eius temporibus Mycenae vicus erant mediocris et qui in Argivorum dicione ac potestate esset. sed Mycenas, ubi epici Agamemnonem regnare perhibent, cum Argis ita confundere audet, ut utroque nomine sine ullo significationis discrimine utatur (cf. 98—103, 1246 sq.). v. Strab. VIII p. 377; ceterum cf. quae Wil. ad Herc. 15 adnotavit. quodsi Euripides IA. 242 sqq. et 265 sqq. Mycenas ab Argis clare distinguit, eum Homeri Catalogum Navium q. v. exprimere vix est quod moneam (cf. B 559—77).

postea ei parandas praepararet, adhibitam esse elucet. absolvitur haec expositio alterius demum episodii scaena prima (356—455), qua non solum de morbi Orestis origine et animis civium in eum infensis nova et certiora comperimus, sed etiam Menelaus qualis sit, cum ex oratione quam prodiens habet tum e dialogo insequente cognoscimus.

Hoc ipso vero colloquio, ut supra iam dixi, actio incipit, cum Orestes patruum ad suam causam perducere conetur. unde ab hac scaena usque ad peripetiam cursus actionis ita est institutus, ut periculum Oresti ac sorori imminens magis magisque ingravescat. primum enim Tyndareus avus iam antea ab Oreste matricida abhorrens verbis, quibus ille se purgare vult, adeo exacerbatur, ut Argivos sic quoque infestos etiam acrius in eum incitare constituat. deinde Menelaus, ut est ignavus et regni Argivorum cupidus (cf. 1058 sq. et 1660) necnon minis Tyndarei valde perterritus, fratris filium, qui eius auxilio se mortem effugere posse speraverat, turpiter destituit. quae Orestis calamitas ut augeatur, Pylades quoque, qui solus amico misero fidem servat, infelix esse fingitur: cum caedibus patratis in Phocida redisset, Strophius pater, quod Oresti adfuisset matrem necanti, eum in exsilium eiecit. sed spe quae in Menelao posita erat ad irritum redacta nova nascitur spes vel potius specula; etenim ipse ad contionem profectus Orestes conari vult civibus persuadere, ut sibi et Electrae parcant. attamen, nihilo minus ab iis capitis damnatus, hoc unum impetrat, ut sibi sororique sua manu se interficere liceat[2]). sic hac ultima spe incisa mors iis inevitabilis videtur; itaque sequitur magnus chori Electraeque planctus ac lamentum, et postquam Orestes cum Pylada a contione revertit, omnes ad moriendum se parant.

At hoc ipso momento, cum eos statim mortem sibi illaturos esse credimus, fit peripetia. nam siquidem morti destinati sint, ne inulti moriantur, Pylades Menelaum, desertorem consanguineorum, eo modo punire suadet, ut illum eo, quod illi in vita dulcissimum sit, orbent, ut Helenam occidant. emendat hoc consilium Electra: Hermionam a Clytaemestrae tumulo redeuntem obsidem capiant, minentur, nisi Menelaus ipsis opitulaturus sit, se filiam eius esse interfecturos. et exsequuntur quae constituerunt; quippe etsi Helena, cum Orestes eam petat, quasi divinitus subito evanescit, tamen Hermionam comprehendunt et porta firmiter obstructa in tecto regiae adventum Menelai exspectant, parati, si res exiget, Hermiona trucidata in aedibus Pelopidarum incensis mortem obire. Menelaus, qui ad uxorem ulciscendam servandamque filiam cele-

[2]) Aliena manu necari Graecis ignominiae erat non mediocri, quare saepius iudices hominibus morte multandis permittebant, ut se ipsi interimerent (Wil. ad Herc. 215).

riter accessit, multa verba facit, sed certum consilium in neutram partem capere potest (v. infra p. 27); et iam Orestes domum accendi iubet, cum necopinatus Apollo apparet nodumque fabulae expedit: de Helenae sorte eos certiores facit, litem inter Oresten patruumque ortam componit, Oresten, cum annum exsularit et in Areopago culpa sit liberatus, regno Argivorum esse potiturum praedicit. sic quae a luctu et miseria orsa est fabula in felicitatem laetitiamque exit.

Caput II:

De moribus personarum.

1. Quoniam argumentum in universum paucis verbis adumbravimus, nunc transeamus ad singula. ac primum quidem, cum in hac quoque fabula duas esse partes viderimus, utri Euripides faveat, eruamus. nec dubitari potest, quin maxime det operam, ut Oresti suisque audientium animos conciliet. etenim cum senex miserationem commovere quam animos spectatorum acriter concutere malit, iam inde a prologo id agit, ut Orestis in summam calamitatem adducti nos misereat. itaque initio tragoediae Orestes in lecto ante Agamemnonis regiam deposito dormiens iacet; Electra autem, quae fratri assidet somnumque eius tuetur, statim miserum eius statum describit: gravi morbo affectum eum modo furoribus agitari, modo ad sanitatem mentis reversum lacrimas fundere, modo, sicut nunc faciat, impetibus insaniae fessum somno altissimo premi; sexto iam die ieiunum illotum lecto teneri (34—45). haec postquam poeta etiam vv. 83—91 in colloquio, quod est inter Helenam Electramque, attigit, parodo iterum adhibet, ita tamen, ut quae in prologo simpliciter relata sunt, hic spectatoribus quasi repraesententur et, quippe versibus lyricis expressa modisque musicis ornata, vehementius animos commoveant. sed etiam augetur miseratio episodio primo. quamquam enim in prologo ac parodo omnia ad Oresten spectant, tamen is ipse ut dormiens mutus est; nunc demum agere incipit et in toto dominatur hoc episodio. primum quam misera sit eius condicio, clare videmus. os et oculi spumeis excrementis, quae iam concreta sunt, complentur (220), capilli squalidi prominent in vultum (223 sqq.), per complures dies non lavit (226), morbi temptatione confectus est et debilis (228). hominum aegrotorum more alias aliud cupit, nulla re contentus: tum erigi vult, tum recumbere, tum denuo erigi (218 sq., 227, 231). inde, quam diligenter Euripides aegrorum animos observarit, non minus intellegimus quam e versibus 233—36, ubi quid valeat apud

aegrotos opinio quamvis falsa, dicit (cf. etiam 314 sq.). porro furoris impetum, quo Orestes repente capitur, contemplemur. fortasse eo, quod Electra filias Tyndarei commemoravit (249 sq.), de Clytaemestra et facinore suo recordatur, ita ut paricidii memoria eum denuo furore afficiat. iam v. 251 sq. Euripidem severa admonitione, quam non merita esset Electra, incipientem impetum insaniae expressisse vidit Hermannus (a. l.). ubi autem insania summa vi erumpat, poeta ratione distichomythiae q. v. turbata significat (255—57, cf. Herm. a. l.). opinatur Orestes Furias a Clytaemestra instigatas se aggredi; furore sollicitatus e lecto vult prosilire et Electram, quae summa ope nititur, ut eum retineat, unam ex Furiis habet. postremo cum manibus sororis se extorserit (266), ab arcu, quem ab Apolline acceperit, sagittas se in Furias esse missurum minatur (268 sqq.); quem arcum aeque atque Erinyas in opinione tantum Orestis esse elucet[1]).

Huc accedit, quod non modo Orestis infirmi ac furentis miseremur, verum etiam sors eius vere tragica est, quippe qui scelus fecerit, sed scelus a deo iussum. nam etsi de matricidio quidnam Euripides senserit, infra accuratius anquiremus, tamen id quidem iam hoc loco statuere possumus ancipitem quandam huius facinoris speciem a poeta identidem commemorari: necem matri a filio illatam scelus esse abominandum, sed cum Apollinis iussu Orestes hoc scelus commiserit, culpam in deum esse transferendam (28—31, 76, 160—5, 191—4). quocum conveniunt, quae Orestes ipse de suo facinore dicit, qui quamvis a foeditate paricidii abhorrens (cf. 284—93) negat deo imperante se aliter facere posse. optime hoc e primo quod oritur inter eum et Menelaum colloquio intellegimus: non infitiatur se matrem interfecisse (392); nec tamen hoc facinore gloriatur, sed sceleris mordetur conscientia (396). quin etiam morbus quo laborat nihil aliud est nisi aegritudo animi, in quam caede patrata incidit (cf. 398 *λύπη μάλιστά γ' ἡ διαφθείρουσά με* . . .[2]). sed quamvis conscius sibi sit matricidium nefas fuisse, tamen culpam in Phoebum esse conferendam etiam contra Menelai dubitationes captiosas contendit (414 sqq.). summam autem et

---

[1]) Phoebus si revera Oresten arcu, quo a Furiis se defenderet, armavisset, nullo pacto posset accusari, quod illi in summum periculum adducto deesset (286 sq., 419 sq.); quin etiam omnia, quae in Oreste geruntur, inania essent, si Apollo Oresten iam adiuvisset. itaque histrio in Orestis furentis partibus agendis simulare debebat, quasi arcum manibus teneret et in Furias intenderet. recte igitur scholiastae (268) oblocuti sunt Hermannus et Weilius.

[2]) Haec aegritudo ac maestitia interdum ita augetur, ut ille furere incipiat. insigniter Euripides finxit eum primum mente alienatum esse, cum tenebris ossa matris legeret (401—4). porro consentaneum est hominem tam aegrum animo cibum omnino respuere necnon impetibus insaniae defetigatum somno arto premi. nullus vero locus febrim indicat (aliter Harries, l. l. 40 sq.).

naturae et sortis suae Orestes ipse v. 424 eloquitur his verbis: *οὐ σοφός, ἀληθὴς δ' ἐς φίλους ἔφυν φίλος* (codd. *ἔφυς κακός*: corr. Brunkkius): non est *σοφός* vel potius sophista sicut Menelaus, non meditatur, quales sint dei, at Phoebo obtemperare officiumque patri praestare non dubitavit; hac pietate adductus in maximam incidit calamitatem. —— attamen sunt, qui Oresten cum Tyndareo altercantem (544 sqq.) et Menelai mentem pertractantem (640 sqq.) tam levem atque improbum se praebere putent, ut omnes eum aversari oporteat. quod primum hanc disputationem gravissimam attinet, de qua infra plura disseram (cap. IV, 3), hic moneo pro eiusmodi *ἀγώνων* ratione e verbis disputantium nihil de moribus eorum esse colligendum, praesertim cum poeta ad utramque sententiam confirmandam quam plurima argumenta congerere studeat, quae an illorum naturas deceant, non semper curat. in oratione vero, qua Orestes Menelao persuadere vult, ut sibi opituletur (640 sqq.), duo praecipue sunt loci, quos a viris doctis plerumque non recte intellectos esse censeam. opinantur enim Oresten v. 646 se iniuriam fecisse, v. 665 se nullo pacto servari posse vere concedere. quin etiam quidam contenderunt personam adulescentis honesti ac pii, quam coram Tyndareo induisset, in hac scaena eum deposuisse. ortae sunt hae vanae opiniones e philologorum multorum falsissimo Orestis detrectandi studio, qua de re infra pauca dicam. etenim Orestes cum patruum, hominem ignavum ac suae utilitati servientem, neque antea nimis voluisse fratris filium adiuvare et Tyndarei minis valde esse perturbatum non ignoret, quibus excusationibus ne ille utatur potissimis timet, ea antecapiens iam nunc refutat. quippe si revera existimaret fieri non posse, ut mortem effugeret, num flagitaret tantopere a patruo auxilium? versus 646 igitur sic est intellegendus: ‚obicies causam meam esse iniustam, sed ut sit iniusta, tamen me iuvare debes; nam pater meus etiam tua causa iniurias fecit, quarum gratiam te mihi referre oportet'. similiter altera anthypophora (665) se habet.

Nec minus, quam miserabilis condicionis eius nos miseret, sororem et Pyladen diligenti favemus. eodem enim loco quo Orestis infirmitas insaniaque etiam eius erga Electram amor depingitur. pudet eum morbo suo illi incommoda attulisse (281 sq.), orat, ut domum intret corpusque edendo lavando dormiendo recreet; nam eam esse solam, quae ipsum curet (301 sqq.). intima autem quae inter eos intercedit familiaritas ab Oreste versibus 296—300, ab Electra versibus 307—10 exprimitur. —— Pyladen autem tam habet carum, ut eius aspectu maxime delectetur (725—8); veretur, ne cives et illi manus inferant (770 sqq.), nolit amico timens ab eo in contionem deduci (792 sq.), antefert hunc sodalem, quamvis non sit cognatus, consanguineis (804—6).

Item atque Orestes Electra placet, quae fratri soli vivit et omnem laborem, operam, studium in ei inserviendo consumit. sic cum chorum conspexerit accedentem, verita, ne Orestes illius planctu ac lamentatione e somno suscitatus denuo furere incipiat, istas mulieres admonet, ut gradum suspendant et submittant vocem (136 sqq.). etiam in insequente parodo somno fratris sedulo consulens iterum iterumque eas quietem illius turbare vetat (142, 145 sq., 149, 158 sq., 167 sq., 170 sq., 181 sqq.). maxime autem Electrae erga fratrem amor fidesque ex episodio primo cognosci potest. namque Oresten somno experrectum amantibus verbis appellat (217), sordidi atque inculti corporis eius miseretur (225 sq.), ultro proponit quae ei grata fore sperat (218, 233 sq.), infima fratri officia praestare non solum non veretur, sed etiam hanc operam sibi dulcem esse dicit (219—22), mansuete ac placide mutabili eius voluntati oboedit (227 sqq.). tum brevi tempore, quo Orestes melius se habet, ad eum de Menelai adventu certiorem faciendum prudenter utitur (237 sqq.). sed cum frater repentinam in insaniam inciderit, etsi mulier est infirma, tamen omni vi eum in lectulo retinere conatur (262 sq.), et posteaquam ille manibus eius se liberavit, desperans deos matricidis iratos sibi et fratri opitulaturos esse (266 sq.) capite velato lacrimas fundit (280, 294 sq.). ex praeceptis denique eius, quibus scaena terminatur (311—5), rursus, quantae sibi curae habeat fratris salutem, patet.

Hac et Oreste dignus est sodalis Pylades, qui amico quamquam in maximam calamitatem delapso fidem servat; etenim ut paricidii Orestis particeps fuit (33, 406, al.), sic ei furore capto adest (405 sq.). clare autem de moribus eius scaena tertia episodii alterius docemur (729—806), ubi e Phocide reversus cum amico colloquitur: de amici sorte sollicitus cursu effuso — citius igitur quam hominem nobilem decet (729[3]) — appropinquat, verbis dulcissimis eum alloquitur (732 sq.), quae Oresti accidant sibi quoque accidere profitetur (735), malum quo eius gratia affectus sit lamentari fortiter aspernatur (769). nec solum verbis, sed etiam re amicitiam suam ostendit; quippe amicum aegrotum ac debilem sua manu curare et in contionem deducere non veretur, ne contagionem quidem morbi metuens (791—5), cum hoc potissimum modo verum amicum se praestare posse sibi videatur (801—3). quisquis vero Oresten fabulam diligenter legit, dubitare nequit, quin Pylades in hac scaena ab Euripide Menelao opponatur: Menelaus consanguineo suo — vel potius dicam: filio eius fratris, qui istius causa filiam immolavit et labores toleravit maximos (cf. 652 sqq.) —

[3]) v. 729 codicum ἦ non mutandum, cf. Weilium a. l. et Wil., Interpr. 61, 1.

summo in discrimine versanti deest, Pylades, quamquam nullo cum eo coniunctus est propinquitatis vinculo, tamen omnia quae e matricidio manabunt mala una cum eo est subiturus[4]. ultimis huius actus versibus poeta ipse Oresten hoc e Menelai et Pyladae moribus facit colligentem (804—6):

τοῦτ᾽ ἐκεῖνο, κτᾶσθ᾽ ἑταίρους, μὴ τὸ συγγενὲς μόνον·
ὡς ἀνὴρ ὅστις τρόποισι συντακῆι, θυραῖος ὤν,
μυρίων κρείσσων ὁμαίμων ἀνδρὶ κεκτῆσθαι φίλος.

Itaque Euripidem, iam antequam Orestes Electraque a civibus capitis damnarentur, iis ac Pyladae animos nostros conciliasse vidimus; sed quae singulis locis de singulis personis protulit, ea ultima quae peripetiam praecedit scaena tamquam in unum cogit. enarremus igitur breviter hanc scaenam, in qua Orestes cum suis ad moriendum se parat. lamentatur Electra mortem fratri sibique imminentem ita, ut misereat nos horum adulescentium, qui tam praematura morte perituri sint. contra Orestes ut vir calamitatem aequo animo ferre studet, sororis planctum abnuit. etiam ab ea rogatus, ut ante mortem in complexum eius veniret, primo obsequitur invito quidem animo, sed subito fraterno vincitur amore adeo, ut verecundia postposita omni ipse eam amplexetur (1042-50). quem affectum erumpentem poeta distichomythia turbata bene significavit (1047—50, cf. supra de vv. 255—7). hi cum tanta caritate coniuncti sint, etiam uno ense mortem sibi inferre, in uno sepulcro condi cupiunt. animo vero ex hisce cogitationibus collecto Orestes fortiter se morientem patre dignum se esse praestaturum profitetur. sic poeta postquam curavit, ut Orestis et Electrae de vita decessurorum misereremur, iis alteri alterum diligentibus faveremus, Oresten virilem ac fortem admiraremur, ad amicitiam quae est inter Pyladen et Oresten celebrandam transit (1065—97). Pylades enim, cum Orestes eum valere iusserit, se amicum morientem nequaqam destituturum, sed una cum eo mortem esse oppetiturum pronuntiat. et quamvis Orestes eum obsecret, ut patri se conservet, tamen amico se nulla condicione superstitem fore gravibus verbis iurat[5].

---

[4]) De Pylada Oresti cognato v. infra p. 50.

[5]) Imitatur Euripides illam Iphigeniae T. scaenam, in qua Pylades Oresti vult commori (672 sqq.). utroque enim loco Pylades, cum idem fecerit atque amicus, idem se pati debere putat (IT. 675 ~ Or. 1074 et 1089—91), utroque loco timet, ne, si amico superstes futurus sit, ab omnibus vituperetur et despiciatur (IT. 676 sqq. ~ Or. 1093—6). quibus utroque loco Orestes opponit, quantum differat sua vita a Pyladae (IT. 691—4 ~ Or. 1076 sq.). contra ea, quae de matrimonio inter Pyladen et Electram iungendo dicit, pro diverso utriusque fabulae argumento distant (IT. 695 sqq., Or. 1078—81).

2. Confirmabuntur, quae adhuc de Oreste Electra Pylada exposuimus, si Menelai et Helenae mores quomodo in hac fabula depicti sint, examinabimus. ac primum quidem M e n e l a u m poeta non modo prima episodii alterius scaena ac tertia, sed etiam alibi, ubicumque fieri potest, vehementer detrectat: ignavus est (754[6]) ac mollis (769), quin etiam uxoris quasi servus est (742), qua de causa Orestes vv. 669 sqq. per Helenam ei amatissimam eum obsecrat, ut sibi subveniat: bene decet hominem uxori subditum per uxorem orari. porro cum ei in exodo v. 1608 sqq. Orestes dederit optionem, utrum Argivis persuadere mallet, ut capitis damnatis veniam darent, an filiam mortuam conspicere, ille nihil respondet, immo Helena se orbatum esse miserabiliter lamentatur; adeo igitur est homo uxorius, ut eo ipso tempore, cum filia in summo periculo est, eius oblitus coniugis sortem queratur[7]). ut quam plurimum de eo detrahat, Euripides eum et avarum esse fingit; Orestes enim vv. 642—5 verbis utitur tam ambiguis, ut Menelaus eum pecuniam sibi ab Agamemnone creditam repetere opinetur eamque a fratre se accepisse gestu abnuat[8]), cum Orestes oret, ut ille omnia quae ab Agamemnone acceperit beneficia auxilio sibi ferendo penset. recte de his versibus Wilamowitzius sic iudicat: *‚Das Ganze ist erfunden, um den Menelaus, der ἁβροσύνηι πολλῆι eingezogen war (349), bloßzustellen‘* (Herm. 59, p. 259). praeterea sapientiam suam nimis aestimans saepius ea gloriatur (710, 716, etiam 695[9]), de civium animis pertractandis Oresten fuse edocet (696 sqq.), verba *σοφός, σοφία, ἀμαθής* semper in ore habet (praeter versus supra commemoratos cf. 397, 415, 417, 488, 490), cum Orestes v. 424 *σοφόν* se esse neget[10]). imprimis autem suam utilitatem saluti propinquorum adeo praefert, ut regni Agamemnonis cupidus filium eius in periculo mortis versantem destituat (cf. 717 sqq., 736, 740, 748). itaque ubi Oresten aegrum conspexit, sine ulla miseratione identidem ei terribilem eius aspectum coram obicit (385 sqq.); cum ille v. 412 ex-

---

[6]) *οὐ γὰρ αἰχμητὴς πέφυκεν* ...: verbum epicum *αἰχμ.* (praeter Hec. 118, ubi adiectivi vim habet) alibi apud tragicos non invenitur; cf. istud Homeri *μαλθακὸς αἰχμ.*, P 588 de Menelao dictum.

[7]) Ergo nulla inter 1615 et 1616 lacuna (aliter Herm. a. l.). inde a versu 1613 ad versum 1616 Helenam alloquitur, Oresten non respiciens, qui tamen identidem interloquitur. versus 1616 ad insidias tantum Helenae paratas, non ad mortem filiae imminentem spectat: ‚quod in discrimine periculi nobis defuisti (*ἀνωφελής* sicut Antiop. p. 18, 13 et 20, 18 Arn.), uxorem tuam oppressimus‘.

[8]) Scholiastes quae adnotavit, nihilo magis valent quam quae ad versum 268 (cf. supra adn. 1) leguntur.

[9]) Versus 695 et 716 a nonnullis deletos defendit Wil., Herm. 59, p. 260, 1 et 261, 1.

[10]) Etiam quod v. 482 sqq. Tyndareo pertinaciter contradicit, non revera consanguinitatem tanti aestimat, sed, nimius amator sapientiae suae, ab alio vituperari non potest.

clamaverit: *οἴμοι διωγμῶν, οἷς ἐλαύνομαι τάλας*, aspere respondet: *οὐ δεινὰ πάσχειν δεινὰ τοὺς εἰργασμένους*. versibus autem 417—23 Oresten matricidii culpam ad Apollinem referentem arte vere sophistica refellit[11]). sed dixerit quispiam Menelaum Oresten ideo tam acerbe habere, quod homo sit summa pietate et facinus illius ut scelus foedissimum abhorreat. verum longe aliter res se habet; neque enim Menelaus colloqui veretur cum matricida, quem ipse advocavit (aliter v. 75 Helena et v. 481 Tyndareus). quam levi sit animo, ex eo patet, quod fratris sui interfectricem amplecti in animo habuit et quod Agamemnone occiso se Oresten matremque eius *ὡς εὐτυχοῦντας* inventurum esse opinatus est (371—3). quodsi homo tantuli pretii Oresten dei iussu matrem necavisse diserte negat, alia re commovetur ac religione: et sperat se Oreste damnato rerum Argivarum esse potiturum (cf. 1058 sq., 1660[12]). commode igitur ei accidit, quod ad Orestis precem respondere Tyndareo appropinquante in praesens tempus supersedet (456 sqq.). post Tyndarei autem abitum, cum Oresti, etsi opitulari non vult, tamen auxilium aperte denegare non audeat, dubius quomodo ex hoc laqueo se expediat, cogitationibus deditus modo huc modo illuc ambulat (632 sqq.). tum ab illo impense rogatus orationem habet longam: Oresti, ut par sit, se esse auxiliaturum; sed cum milites sibi sint paucissimi, vim se adhibere nequire. ergo blandis verbis Argivos ad lenitatem adducere se esse conaturum. has sententias pluribus verbis ita exprimit, ut omnia fere bis dicere videatur, quamquam quod dicit, nil est nisi verba. quae cum exposuerit, celerrime discedit. sicut vero ex his verbis iam exspectare possumus, ne manum quidem Orestis servandi causa vertit (1056—9). Menelai pravitatem Euripides usque eo auxit, ut Aristoteli necessarii terminos excessisse videretur (poet. XV 1454 a 29 et XXV 1461 b 21), quamquam eam ex re fabulae esse cognoscemus.

His de Menelao dictis transeamus iam ad Helenam, a qua poeta animos audientium non minore studio avertit. neque aliam enim ob causam eam in prologo in scaenam producit, nisi ut spec-

[11]) Cf. scholl., imprimis schol. 419, necnon Herm. ad 423 (412 ed. Herm.). fortasse etiam ea res, quod tam fuse Orestis condicionem percontatur, aliquid habet suspecti: vide quae in textu sequuntur. sed hoc incertum, quia Euripidis intererat haec omnia spectatoribus accurate exponere.

[12]) Versibus 1660—1 assimulandi sunt loci hi: Soph. Ai. 1102, Eur. Teleph. frg. 723, Andr. 582; quibus omnibus Menelaus Sparta contentus esse iubetur. has admonitiones postea in proverbium abisse observavit Wil., Erinnerungen (Lips. 1928) p. 208, 1. vetustissimus vero e locis quos attulimus Sophocleus est, cum Aiacem etiam eiusdem poetae Antigonae atque ideo Telepho Euripidis antecessisse pro certo habeam. itaque quod veri est dissimile Euripidem Sophoclis versum tam saepe esse imitatum, utrumque poetam dictum antiquius et quod tunc divulgatum esset expressisse conicio.

tatores suis oculis, qualis sit, videant. hac in scaena intellegenda etsi Nestleium l. l. p. 96 nimia subtilitate usum esse existimo, tamen et ego plura reperio, quam ut Helenam hic in malam partem depingi denegemus. an non est levissimi atque inconsiderati animi ab Electra postulare, ut fratrem ope sua indigentem derelinquat et, ipsa matricidii adiutrix, ad Clytaemestrae sepulcrum illius munera portet (92 sqq.)? acerrime Euripides in eam brevi Electrae oratione invehitur, quae post prologi partem alteram ita interponitur, ut quasi transitum faciat a prologo ad parodum (126 sqq.). ubi Electra, postquam Helena in regiam rediit, exprobrat eam pulchritudinis conservandae causa, cum crines in sororis tumulo sacrificandos abscideret, extremas tantummodo comarum partes resecuisse[13]). quicumque autem hoc crimen non verum, sed ab Electra Helenae infensa fictum esse putat, artis dramaticae Graecorum naturam ac leges non perspexit. augetur invectionis vis eo, quod Electra primum more in comoediis usitato (cf. Schad. l. l. 10) spectatores compellat, tum ab iis se avertens Helenam ipsam a scaena absentem exsecratur hisce: ‚di te oderint, quod me pessum dedisti et hunc fratrem et Graeciam totam!‘ quod his ultimis Electrae verbis Helena ut belli Troiani auctor Graecis plurima mala attulisse dicitur, idem crimen ei saepius obicitur, non solum a Pylada (743, 1134 sqq.) et Electra (1305 sqq.), quos illi malevolos esse dixeris, verum etiam a choro (1361—5), necnon vulgus quae de illa sentit, cum Electra Pyladaque consentire e Helenae ipsius verbis v. 102 sequitur (cf. 57—59). Troianis vero non minori eam odio esse quam Graecis poeta vv. 1383—9 Phrygis ore nos docet. iterum atque iterum Euripides procedente fabula eam incessit: v. 247 sq. Orestes Menelaum feliciorem esse posse dicit, si sine illa in patriam redisset, v. 671 sqq. idem per Helenam Menelaum obtestatus secreto confitetur, quam aegre ferat ad feminae vilissimae nomen sibi esse refugiendum[14]), v. 773 et 741 Pylades pessimam eam appellat, etiam Menelaum vitiis illius infectum esse contendit (737). porro eo tempore, cum consilium contra eam capitur, poeta, quam inhumana sit, demonstrat. nam quamquam Orestes adhuc vivit, tamen ut heres futura rebus eius signum suum imprimit (1108). qua de causa Ioannes ab Arnim (l. l. a. v.) hoc ab Oreste fictum esse putet, non perspicio; etenim convenit moribus eius optime, neque habemus,

[13]) Inepta sunt quae de verbis *ἔστι δ' ἡ πάλαι γυνή* (129) Preußius (De Eur. Helena, Lips. 1911, p. 19) scripsit: ‚*πάλαι* mea quidem sententia consilio etiam adversus Aristophanis *καινήν* (Thesm. 850) dicit poeta‘. nihil aliud Electrae verba sibi volunt, nisi quod Helena eadem sit quae ante bellum Troianum fuerit, sc. tam adhuc placendi cupida quam olim.

[14]) Locum ab Hermanno infeliciter tractatum recte interpretatus est scholiastes ad v. 671.

quod, quae poeta profert, ad libidinem interpretemur. chorus denique Helenam morti destinatam v. 1153 sq. diserte respuit. gravissimum autem est etiam a patre eam acerbe vituperari, qui a filia tantopere abhorret, ut eam multos post annos reversam salutare nolit (520—22, cf. eius abitum 629).

Ex his omnibus de quibus egimus locis colligamus necesse est Euripidem id efficere voluisse, ut audientes inde ab initio fabulae et Oresti ac suis faverent et Menelaum Helenamque aversarentur[15])

3. Quibus de Euripidis consiliis cognitis pauca de ductu actionis addere libet. supra iam vidimus priorem fabulae partem ita comparatam esse, ut periculum Oresti Electrae Pyladae imminens in scaenas continuo accrescat. itaque cum his ipsis poetam animos nostros sedulo conciliavisse demonstraverimus, fieri non potest, quin cursu tragoediae sic instituto iis vehementer et magis vehementer timeamus. sed eadem ratione Euripides avertit nos etiam a Menelao. etenim quod iam v. 52 sqq. et 68 sqq. Electrae ore nos docuit eorum quibus favemus salutem in illo solo esse positam et v. 241 sqq. iterum de hac re nos admonuit, illius adventum suspenso animo exspectamus; nempe Menelaum in altero demum episodio venientem, non fabulae initio iam in regia versantem ideo fecit, ut maiore nos exspectatione erigeret. huc accedit, quod Tyndareo superveniente etiam diutius dubii relinquimur, Menelaus ab Oreste rogatus quidnam facturus sit. verum postquam una cum Oreste Electraque speravimus eum istis auxiliaturum esse, postea, cum fratris liberis ignavia atque avaritia adductus in discrimine periculi deest, tantae nobis est invidiae, quantam ante in eo posuimus spem.

Caput III:

De insidiis Helenae Hermionaeque paratis.

1. Iam pridem haud scio an miratus sis rarissime nos adhuc in poetae consilio eruendo fines prioris fabulae partis esse transgressos. hoc propterea fecimus, quod ut de iis, quae peripetiam praecedunt, dubitare vix licet, sic de ceteris scaenis vel viri tragicorum Graecorum peritissimi sententias protulerunt falsissimas. itaque quaestiones huc spectantes seorsum tractare optimum duxi.

Omnes fere viri docti consentiunt Oresten ac suos post peripetiam pessimos se praebere. quamquam alii eorum Euripidem,

---

[15]) De Tyndarei moribus hoc loco tacemus, quia non e factione ab Oreste impugnata est, sed disputationis tantum habendae causa inducitur.

cum haec morum descriptio cum scaenis superioribus nequaquam congrueret, tragoediae rationem antea institutam ipsum conturbasse arbitrantur — quod cur fecerit, evidenter explanare nequeunt — alii, qui de parte priore aliter iudicant ac nos, eum sibi constitisse. sane hae opiniones in iis positae sunt, quae hi litterati de totius fabulae voluntate ac ratione sentiunt, qua de re infra agemus: nunc autem hoc tantum anquiramus, an Orestes Electra Pylades altera parte fabulae vere in deterius depingantur. quod si fieret, ab omnibus, quae supra de Euripidis consiliis suspicati sumus, valde abhorreret.

Orestes suique ut pessimi sint, viris doctis praecipue ex insidiis Helenae atque Hermionae paratis sequi videtur. ac primum quidem crudelitatis summae atque atrocitatis esse putant illos Helenam inermem iugulare paratos esse. attamen, si tragoediam recte intellegere volumus, de personarum factis et consiliis non e nostra mente, non e nostrorum temporum moribus ac religione existimare, sed poeta quae dicat, observare debemus. etenim ne uno quidem verbo Euripides eos vituperat, quod Helenam interimere constituunt; immo etiam inde a principio fabulae id contendit, ut eam morte dignam esse audientibus persuadeat. identidem eum id egisse, ut omnes illam aversarentur, supra tam fuse monstravimus, ut hic plura de hac re exponere supersedeamus. sed solent viri docti multorum locorum obliti e ceteris ea quae sibi videntur colligere; cuius rei unum quidem exemplum afferam. putant Pyladae suorumque pravitatem ex eo apparere, quod, cum consilium Helenae opprimendae capiatur, v. 1132 sqq. affirmat eam, si interficiatur, omnibus Graecis poenas eorum malorum, quibus eius culpa affecti sint, esse soluturam. hanc argumentationem etsi nobis quidem levem ac paene ridiculam videri concedo, tamen ii, qui eam Pyladae ignominiae dant, alios locos prorsus neglegunt. non enim Euripides, si isti recte iudicarent, saepius idem crimen ei obiceret, non eam ipsam ultionem Argivorum metuentem in prologo induceret. tantum vero abest ab insidiis, quae Helenae tenduntur, Oresti Electrae Pyladae crimini vertendis, ut, cum illa interfecta esse videatur, chorum faciat dicentem:

> *διὰ δίκας ἔβα θεῶν*
> *νέμεσις ἐς Ἑλέναν.*
> *δακρύοισι γὰρ Ἑλλάδ' ἅπασαν ἔπλησε* . . . (1361 sqq.).

non agitur hoc loco de ea re, an haec omnia nobis placeant, sed Euripides quid voluerit, eruimus.

Verum qui fit, ut multi et docti viri his locis neglectis Helenae oppressionem Oresti suisque probro dandam censeant? proficiscuntur a nostrae aetatis moribus, qui legem redolent Christianam; quamvis enim hodie mentes plerorumque, qui verbo tenus Christi-

anae religioni addicti sunt, a dogmatis ecclesiae sint alienae, tamen idem fere adhuc honestum nobis videtur, quod Christus praecepit. at longe aliter de honestate Graeci quinti a.Chr. n. saeculi sentiebant; is enim Graecis vir perfectus videbatur, qui et amicum amicis iucundissimum et inimicis inimicum quam maxime terribilem se praebebat, sicut Solo Musas precatur:

εἶναι .. γλυκὺν ὧδε φίλοισ', ἐχθροῖσι δὲ πικρόν,
τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν (1, 5 sq. Di.).

quam virtutis normam Plato demum vel potius Plato paene solus, ut ita dicam, supervolavit[1]). omnibus viis ac rationibus, quae ad inimicos vulnerandos idoneae essent, uti ius fasque erat (cf. e. gr. Theogn. 363 sq.), inimicos quam acerrime ulcisci cupiebant viri Graeci. inde intellegimus, Orestes suique quae Helenae afferunt, secundum mores illorum temporum vituperari non posse, praesertim cum poeta Menelaum et coniugem eius ita depinxerit, ut spectatores eodem in eos odio flagrarent punirique eos valde gauderent[2]). Pylades autem in eo ipso amicum se praestat optimum, quod Oresten docet, quomodo Menelaum inimicum ulciscatur.

2. Sed etsi insidias Helenae paratas illis ignominiae non esse demonstravimus, tamen, quam feri illi sint et crudeles, multis ex eo videtur apparere, quod Hermionam, quae nihil meruerit, si res exiget, trucidaturi sunt. laudant philologi tanto eam studio, ut eos paene amore huius virginis amabilis quae videtur ardere dicas, aversantur praeter ceteros Electram, quae non suadeat modo illam comprehendere, verum etiam ipsa per dolum hanc puellam innoxiam et benevolam, sororem patruelem ac consobrinam, in rete illiciat. atqui hi mores optimi Hermionae, quos admirantur viri docti, ubi describantur, me minime cognovisse fateor. quid? quod de civium iudicio certior facta v. 1329 dicit:

μὴ δῆτ', ἐμοῦ γε συγγενεῖς πεφυκότας,

quod ab Electra rogata pro ea et fratre eius deprecari vult, misericors est et benigna[3])? quid enim aliud facere potest? an exspectaveris eam morte consanguineis imminente esse gavisuram, Electrae, quod orat, denegaturam? hoc unum concedere possum mores eius in neutram partem esse descriptos et id consulto: nam melior si

---

[1]) Cf. Wil. ad Herc. 585, Jac. Bernays, Ges. Abh. (Berol. 1885) I 214.

[2]) Errat igitur Aristoteles, cum Euripidem sine iusta causa Menelaum tantopere detrectasse putat (v. supra p. 19). nempe abhorreremus ab Oreste Electra Pylada, si Menelaus Helenaque moribus essent melioribus.

[3]) Ceterum suspicor eam ut peradulescentulam ac timidam primo dubitare, utrum Electrae morem gerat necne, tum vehementius oratam (1340—43) ei obsequi; quippe aliter, qua de causa Electra v. 1340 quasi de integro precari incipiat (cf. *ἀλλά* 1337 et 1340), intellegere nequeo.

esset, animi nostri ab Oreste abalienarentur, sin peior, nos fabula exeunte miraremur eam cum Oreste matrimonio coniungi. porro Orestes suique non temere eam capiunt, sed quod vitam suam, summum igitur bonum (v. infra p. 44), omni pacto conservare student. siquis vero eam viam, qua hoc consequi conantur, crudeliorem esse putet, aliarum meminerit Euripidis fabularum: in Helena Menelaus duobus locis (808—11 et 1043—6) deliberat, an, ut se et uxorem servet, regem Theoclymenum interficiat; quod consilium Helena non ut inhonestum reicit, sed quod effici non possit. attamen poetam his locis Menelaum non ideo hoc proponentem fecisse, ut eum et coniugem detrectaret, per se apertum est. sed etiam similior Orestis Telephus est Euripidea, qua in fabula Telephus in ara domestica Pelopidarum sedens gladio stricto minatur, nisi Agamemno ei obsequatur, se Oresten parvulum esse occisurum (cf. e. gr. Ziel., Trag. 251). hisce ex locis, quibus alios adicere facile est, sequi mihi videtur, ut Orestes et Electra, si sui conservandi causa Hermionam obsidem retinent, nihil faciant, quod poeta iis crimini vertere velit. confirmabitur haec sententia iis, quae infra de ratione atque indole earum quae μηχάνημα aliquod continent Euripidis fabularum proferemus. praeterea memoratu digna est Howaldii quoque sententia, qui Helenam ob eam causam servari, ne Orestes sanguine eius se oblinat, l. l. p. 169 non male suspicatur, sic argumentatus: ‚*als letzte Verzweiflungstat vor dem eigenen Sterben, wie dies Vorgehen gegen Helena eigentlich geplant war, mochte es angehen; aber den siegreichen Orest mußte dieser Mord zu stark belasten, stärker als der Muttermord, denn jetzt stand kein Apollon dahinter*‘. hunc quamquam nec mythi pondus satis aestimare nec recte iudicare de natura Helenae censeo, tamen quae de hac caede non perpetrata dicit, gravissima sunt. nempe non modo Helenam, verum etiam Hermionam interficere Orestes a dis prohibetur, ita ut ab utriusque sanguine purus sit. sane nostris quidem sapientibus occidendi consilium non nisi intercursu alterius irritum factum paene idem videtur valere atque occisio patrata, nec tamen dubitari potest, quin Euripides etiam hoc modo Oresten culpa levare voluerit.

Itaque ne in altera quidem fabulae parte Orestes et sui quicquam faciunt, quo eos aversari cogamur. quisquis vero contra poetae verba, contra illius aetatis mores, contra aliarum tragoediarum rationem ad arbitrium suum de Orestis fabulae personis iudicare vult, iudicet —— dum ne postulet, ut suae opinionis rationem habeamus.

Caput IV:

De matricidio.

1. Quoniam vidimus Euripidem ab Oreste Electra Pylada contra Menelaum atque Helenam stare, oritur iam quaestio, quidnam de matricidio senserit. plerique enim hodie sibi persuaserunt eum hanc fabulam idcirco scripsisse, ut matricidium ab Apolline iussum scelus esse abominandum ostenderet et mythum deosque hoc modo carperet.

Sed priusquam de hac re exponam, quae mihi videntur, opiniones examinabo gravissimas ab aliis prolatas. ac primum quidem quae Steiger in libro qui ‚Euripides' inscribitur p. 32—35 disseruit, inspiciamus. qui Euripidem Orestis facinus a tribus iudiciis[1]) damnari fecisse putat: ab ipsius conscientia, a familia, pro qua Tyndareus loquatur, a civibus[2]). atqui Euripides, si modo id in animo habuisset, quod ille ei supposuit, artifex fuisset sane inertissimus. nam fingamus rem ita esse, ut ille contendit: num idoneus est Tyndareus, qui pro familia dicat? quippe neque, ut Clytaemestrae interfectae pater, quamvis eam vituperet, ira et studio vacuus videtur neque ex Pelopis stirpe ortus est. certe Euripides, si demonstrare volebat familiam quoque necem Clytaemestrae illatam improbare, aliquem Agamemnoni cognatum inducere debebat, qui, quamquam plurimum eius interesset mortem consanguinei vindicari, tamen ab hac vindicta se abhorrere profiteretur; Menelao, si aliis moribus praeditus esset, honestus si esset ac gravis, bene conveniret his partibus fungi. porro quod cives Oresten damnantes attinet, res non aliter se habet. nonne, Steigerum si sequimur, cives de Oreste iudicare oportet probos ac iustos? at contionem, in qua de eo iudicium fit, a poeta ita esse comparatam, ut horum iudicum sententiam non assis facere possimus, apertum est (v. infra p. 39). attamen huic argumento vim inesse sunt qui ob eam rem negent, quod nuntius non, sit venia verbo, ‚obiective' de contione referat, sed partis Orestis studiosus sit. quae opinio tam est absurda, ut viros tragoediarum Graecarum peritos ei assensos esse mirari satis non possim. nam cum tragici Attici nuntios eo adhibere soleant, ut de aliqua re ad actionem necessaria, quae non in scaena gesta sit, audientes doceant,

---

1) Steiger dicit: *‚von drei Instanzen'*.

2) Praeterea Pyladen a poeta ideo Phocida missum esse arbitratur, ut Strophius pro cunctis Graecis sententiam de matricidio ferret. at versus 763—7 sic intellegere nulla re cogimur. ego quidem hunc locum infra aliter explicabo. pro iis, quae de Orestis voluntate sentiunt, singulos de hoc loco diverse iudicare consentaneum est.

consentaneum est nuntios has res sic narrare, ut factae sunt vel potius ut poeta eas factas esse fingit. quod ni ita esset, spectatores, qui nihil haberent, unde nuntium non recte referre cognoscerent, a poetis temere in errores inducerentur[3]). ceterum nemo eorum, qui illi opinioni falsae dediti sunt, quaesivit unquam, qua re impulsus Euripides hominem Orestis studiosum induxisset; nihil enim obstitisset, quominus persona neutri parti favens nuntii munere fungeretur. —— apparet, credo, Euripidem, si Steiger de eius consiliis recte existimaret, viam initurum fuisse nequaquam idoneam. verum sunt, qui Euripidem, quamquam cum fabulae voluntate contio bene morata sola convenisset, tamen aliter eam conformasse putant, quia sive Aeschyli Eumenidas in risum deflectere sive Atheniensibus quasi speculum obtendere voluisset. quid vero mihi est cum iis, qui poetam *τραγικώτατον* tantuli aestiment, ut eum fabulae suae rationem ipsum his vanis de causis corrupisse arbitrentur?

Sed quoniam de Steigeri sententia satis egimus, recenseamus iam quae Pohlenzius l. l. p. 449 disseruit; cuius verba hoc loco repetere optimum duxi: ‚*Die alte religiöse Vorstellung, daß Mordblut den Rächer weckt, kennt Euripides nicht mehr; aber fürchterlicher ist für ihn die Wirkung, die es im Menschen selbst ausübt, wenn der Blutrausch stärker wird selbst als die Erinyen des Gewissens, stärker als der Lebenstrieb, wenn er Verstand und Gewissen umnebelt und zu neuer blutiger Tat treibt .... Eigene Bluttat läßt hier fortwirkend im Menschen das Tier erwachen. ... (Muttermord ist) nicht nur in sich.. das furchtbarste Verbrechen, sondern noch furchtbarer durch die innere Verwilderung, die er hervorruft, wenn das Gewissen nicht die Oberhand behält.*‘ at haec a viro acutissimo subtilius quam verius disputata sunt.

Euripidi, si id in mente habuisset, quod Pohlenzius opinatur, hoc apertius fuit declarandum; etenim nullum locum repperi, ex quo, ut haec fabula ita intellegenda sit, efficiatur, nullo iure Pohlenzius contendit in posteriore tragoediae parte non modo Oresten et Pyladen, sed etiam Electram sanguinis esse avidos[4]). nempe etiam hic vir doctissimus mores Orestis et suorum post peripetiam in deteriorem partem depingi sibi persuasit; quam opinionem falsam supra refellimus (cap. III). —— unum et solum argumentum, quo Oresten siti sanguinis esse incensum confirmare conatur, ex exodo petivit; negat enim, nisi Orestes sanguinem sitiret, explicari posse, cur, quamquam Menelaus condiciones eius acceperit, tamen

[3]) Nimirum ex eo, quod nuntius ut Agamemnonis cliens Oresti studet, minime sequitur, ut res in contione factas detorserit. —— de versibus 917 sqq. v. infra p. 40.

[4]) l. l. 447 sq.: ‚*Blutgier liegt über dem zweiten Teil der Tragödie. Sie beherrscht nicht nur Orest, nicht nur Pylades .., sondern auch Elektra*‘.

aedes accendi iubeat (1617 sqq.). quam quaestionem eo accuratius tractare debemus, quod multi alii litterati fabulam nullo deo intercedente ad eundem exitum — salutem dico Orestis gratiamque cum Menelao reconciliatam — produci potuisse censent. atqui Euripidi ut poetae Graeco, quamvis in argumento excogitando a fabulis traditis discessisset, tamen in exitu saltem ad eam mythi formam, quam omnes cognitam haberent, revertendum erat; imprimis argumentum mythis, qui Athenis vulgati erant, annecteret oportebat. quod nullo alio modo efficere poterat nisi dei ope. huius adventum ut explicaret, actionem ita intricavit, ut inimicitiae a deo solo componi possint. similiter in Iphigenia T. (1391 sqq.), cum Orestes et sui iam propriis viribus se videntur servavisse, navem eorum fluctu in portum referri ob eam rem facit, quod Minervam de cultu quodam Attico loquentem inducere in animo habet (cf. Steigerum Progr. 38 sq.). — — itaque in Oreste fabula prudentissime cavet, ne Menelaus condiciones illius expressis verbis recipiat; nam verbis ἔχεις με Menelaus concedit tantummodo inferiorem se esse nec quicquam Oresti pollicetur. optime Menelai moribus convenit in neutram eum partem certum consilium capere posse. sed Orestes utrum v. 1618 sqq. mandata Electrae et Pyladae ad speciem det, Menelaum impellere volens, ut celerius decernat, an vere desperet hominem illum mollissimum Argivos esse pervicturum, ut Agamemnonidis parcant, in suspenso relinquam: his mandatis Euripidi ad Apollinis adventum praeparandum opus esse mihi satis est.

2. Proinde Pohlenzii sententiam, quae ne hoc quidem loco examinato probata sit, missam faciamus; redeamus iam in viam. plurimi horum temporum litterati, ut supra iam dixi, persuasum habent poetam Oresten fabulam propterea condidisse, quod turpitudinem matricidii aversatus mythum deosque impugnare voluisset. sed postquam gravissimas quae huc cadunt opiniones, Pohlenzii et Steigeri, quorum hic praecipue a priore, ille a posteriore tragoediae parte est profectus, refutavimus, ceteras, quae quamvis singulis rebus cum ab illis tum inter se differant, tamen in iisdem positae sunt erroribus, aliam post aliam recensere nihil attinet. itaque sententiis virorum doctorum relictis exponam, quae de his quaestionibus mihi quidem videntur.

Quid igitur Euripides in Oreste de matricidio sentit? non lenius de eo iudicat quam in Electra: matrem a filio, quem pepererit, quem uberibus aluerit, trucidari, ut par est, horribile esse ducit et monstruosum. quam matricidii foeditatem identidem attingit: cives aditum matricidarum sermonemque defugiunt (46—8), Strophius filium in exsilium eicit, quod tanti sceleris particeps fuerit

(765—7), Tyndareus ab Oreste vehementer abhorret, chorus stasimo altero matris paricidium ita describit, ut quam atrox sit cognoscamus (cf. 825—30, 839—43) necnon aperte gravibus verbis reprehendit (819—24, 831—33). quin etiam Electra (30, 161—5, 191—4) atque Orestes ipsi necem matri illatam scelus esse nefandum (cf. *ἀνόσιος* 546 et 563) non ignorant. e locis autem huc spectantibus duo nobis accuratius inspiciendi sunt: priore Orestes Apollinem incusat scelus iussisse abominandum, ratus ne Agamemnonem quidem mortem suam hac ratione vindicari voluisse, quod neque ipse Clytaemestra necata reviviscere posset et filius tanta mala pati deberet (285—93). qua ex ratiocinatione elucet, quam longe discesserit Euripides a maiorum religione, qui quamlibet caedem sanguine modo interfectoris expiari posse credebant. altero loco Orestes ipse profitetur conscientia sceleris commissi se deperire, qua ex mala conscientia omnis suus morbus atque insania fluxerit (395—8). perspicuum igitur est Euripidem pro mythi Furiis morsus conscientiae substituisse[5]).

Sed quamvis vehementer poeta matricidium vituperarit, tamen eum Oresten idcirco condidisse, ut hoc paricidium condemnaret, praefracte nego. omnes enim, qui in hac fabula interpretanda ab ista opinione profecti sunt, facere non potuerunt, quin aut ad sententias commenticias et quae nullo poetae verbo confirmarentur fugerent aut illum ipsum poema suum corrupisse existimarent; cuius rei exempla sunt dilucida ea, quae Steiger et Pohlenzius protulerunt, supra fuse refutata. nempe si Euripides id voluisset, quod illi opinantur, tota ei fabula aliter fuisset conformanda: adversarios Oresti opponere debuit probos ac graves, quos causam honestatis agere decebat; imprimis autem exitu fabulae opus erat longe alio: quamquam non hoc dico eam in mortem Orestis exire oportuisse, quia eiusmodi exitus, quippe qui a mytho nimis discrepuisset, ab Euripide adoptari non poterat. cave vero contra dicas in aliis fabulis condendis eum multos mythos audacissime commutasse; aliud enim erat in tragoedia Athenis docenda mythos externos ac remotiores, aliud patrios et quos omnes Athenienses a pueris cognitos haberent innovare. Orestes in Areopago sive a duodecim dis qui vocantur sive a civibus optimis culpa absolutus

---

[5]) Ad 396 cf. Br. Snell, Die Ausdr. f. d. Begriff d. Wissens, Phil. Unters. XXIX (Berol. 1924) 56, 2. —— Furias, quas Orestes furore captus conspicere sibi videtur, vanas quasdam imagines esse ab aegrotantis mente fictas ex Electrae verbis v. 259 patet (cf. 407 sq.); similiter Euripides iam IT. 291—4 eas tractaverat: sane hoc ad ingenium eius quadrat, sed et Aeschylum sequi poterat (Cho. 1048 sqq.). quod hae Furiae nihilo minus stasimo primo ut deae invocantur (316 sqq.), minime mirabitur, quicumque in canticis veteres vel vulgares fabulas opinionesque ab Euripide propterea adhiberi, quod magis sunt poeticae et generi lyrico aptius conveniunt, consideraverit (cf. 836).

esse antiquitus tradebatur, ad Oresten, cui ut sanguine matris contaminato ex eadem mensa cum hospitibus vesci non licuisset, ritus quidam die festo, qui *Χόες* appellabatur, Atheniensibus sollemnis referebatur[6]), Orestis *ξένοι* Demophontidae credebantur (cf. Plut. quaest. conv. 613b et 643a), Oresten Eupatridae auctorem generis perhibebant[6a]). quas omnes traditiones Atticas Euripidem apud spectatores Atticos adeo neglegere potuisse, ut Oresten, antequam Athenas veniret, Argis mortem sibi consciscentem induceret, equidem denego. —— sed etsi poeta vitam Orestis conservare mytho cogebatur, tamen multimodis eum matricidium damnare potuisse exodo Electrae collata apparet, ubi et Orestes in exsilium eicitur sempiternum et iussum Apollinis a Castoribus aperte improbatur (1245 sq.).

3. Huc accedit, quod illa opinio, cui identidem contradicimus, ne disputatione quidem illa celeberrima a Tyndareo cum Oreste habita confirmatur, ex qua Euripidis consilium clare intellegi posse viri docti sibi persuaserunt; itaque ego hanc scaenam pluribus verbis enarrare constitui. sed cum litterati, ut de soliloquiis, stichomythiis, stasimis multa et praeclara disseruerunt, sic in rationem eiusmodi *ἀγώνων* nunquam accuratius inquisiverint, ea, quae de hac re nos exponemus, fundamento carere firmo doleo.

Omnes fere viri docti, ex Orestis et Tyndarei orationibus Euripides quid sentiret eruere conati, hodie consentiunt hunc, senem gravem atque honestum, poetae de sententia dicere, illum autem mera sophismata proferre. quam opinionem nulla alia re comprobare possunt nisi ea, quod Tyndareus quae dicit cum nostrorum temporum moribus ac religione melius conveniunt quam Orestis verba; sed hanc ratiocinationem falsissimam esse vix est quod moneam. solet vero Euripides diversi generis quaestiones cum argumentis fabularum modo artius modo laxius (Herc. 151 sqq.) cohaerentes eiusmodi disputationibus tractare; sed etiamsi res, de quibus disputant, ad actionem fabulae quam maxime pertinent, plerumque opiniones contrarias opponit tantummodo nec temptat dissensionem dissolvere[7]). quodsi Euripides more sophistico maxime dat operam, ut uterque altercans audientibus recte dicere videatur, nobis quaerere vix licet, utri ipse assentiatur. porro cum proposita, de quibus *δισσοὶ λόγοι* proferuntur, saepissime talia sint, ut vel alteri vel utrique loquenti res admodum veri dissimilis probanda

---

6) Cf. IT. 947—60, Callim., Aet. p. 24,1 sqq. Pfeiff.; neque enim est, cur hanc rem ab Euripide l. l. fictam esse putemus (v. Raderm., Jens. 135 sq.).

6a) Cf. Toepffer, Att. Genealogie (Berol. 1889), p. 176.

7) Cf. e. gr. quae Leo Weber de Euripidis Alcestide in commentario a 1930 Lipsiae edito p. 43 sq. exposuit.

sit, consentaneum est orationes, quae in his scaenis inveniuntur, vanis argumentis, rebus prave detortis, sophismatis abundare.

His in universum dictis iam ad Oresten ipsam accedamus. ac primum maximi est momenti — quod plerosque videtur fugisse — Tyndareum non matricidium ipsum impugnare ut scelus foedissimum, verum ultionem ab Oreste petitam, quae rei publicae reservari debuerit. itaque nullum facit discrimen matricidii et cuiuslibet alterius caedis, quod nequaquam ei esset omittendum, si in matricidii foeditatem invehi vellet, immo vindictam privatam et stirpes et populos perdere dicit, quia sic caedes caedem sequatur (508—17, 524 sq.). communem autem Graecorum *νόμον*, a quo Orestes aberraverit, omni modo se esse defensurum pollicetur (495, 503, 523[8]). num Euripides, qui ore Tyndarei loqui multis videtur, vere pro *νόμου* defensore haberi potest, ut qui cunctos *νόμους* quasi ad obrussam exegerit atque examinando dissolverit? tum cognoscimus Tyndareum et Oresten ne fundamenta quidem eadem orationum suarum substruere vel, ut similitudine utar alia, eos non ab eodem loco, quamquam viis diversis et ad fines diversos, verum etiam a locis diversis proficisci. nam Tyndareus quae dicit, alterius saeculi moribus, alii gradui ac quasi processui generis humani conveniunt atque rationes Orestis: huius argumenta ad eum morum statum spectant, ubi singulorum civium est consanguineorum caedes suis manibus ulcisci; contra Tyndareus eius aetatis leges respicit, cum iurisdictio publica vindictam privatam excepit. ita fit, ut verba quasi ventis dent, ut Orestes ne conetur quidem unumquodque argumentum Tyndarei singulatim refellere[9]), ut uterque omnia, quae ad sententiam eius confirmandam valere videntur, rationibus adversarii neglectis coacervet.

Ex hisce omnibus intellegimus ea, quae multi ex hac disputatione collegerunt, minime inde sequi; sed cum res ita ferat, pauca de hoc certamine verborum adiungamus. quod enim viri docti Tyndarei orationem valde laudare, Orestis sedulo detrectare solent, in illius quoque verbis inesse quae offendant moneo. namque censet Oresten matrem non occidere, sed domo expellere adque iudicem vocare oportuisse (500 sqq.). quodsi non civium singulorum, sed rei publicae est in homicidas animadvertere, cur Argivi tam diu dubitarunt Clytaemestram et Aegisthum, non civis simplicis verum regis interfectores, iure persequi? quid? quomodo Orestes, extorris cunctisque privatus opibus eos domo eicere, eos in iudicium adducere potuit, penes quos summa erat potentia?

---

[8]) Forsitan Orestis verba *τόνδ' ἔπαυσα τὸν νόμον* (571) cum quadam ironia contra illius defensionem *νόμου* dicta sint.

[9]) Contra e. gr. in Troadibus Hecuba argumentis Helenae singulis respondet (914—1032).

porro maiores Tyndareus bene statuisse putat homicidas in exsilium esse eiciendos, non necandos (512—5). quae cum ita sint, quo iure Oresten non exsilio multandum sed lapidibus obruendum censet (536)? etiam quod v. 538 filiam morte dignam fuisse dicit, non bene versui 515 convenit (cf. Wil., Herm. 59, 256). —— haec de Tyndarei oratione dicere satis habeamus, transeamus iam ad Oresten, qui etsi matricidium nefas fuisset, tamen se aliter facere non potuisse demonstrare conatur. sed cum litterati saepissime contenderint hanc defensionem Orestis ab iis, quae poeta supra de eius animo cogitationibusque protulisset, penitus discrepare, lectores meminerint, quaeso, eorum, quae de ancipiti matricidii specie supra disseruimus; necnon Orestes ipse cum Menelao colloquens eodem modo de facinore suo iudicat (cf. p. 14). itaque haec oratio prioribus optime convenit, dummodo concedas Oresti hoc loco de salute sua et sororis dimicanti necessario ea, quae ipsi faveant, quam maxime praedicanda, quae autem iniqua sint praetermittenda esse[10]). argumentorum vero, quibus Orestes utitur, pars ab Aeschylo sumpta est[11]). primum enim, disserens qua re inductus patrem ulcisci maluerit quam matri parcere, exponit a patre se esse genitum, matrem semen tantum ex illo conceptum servavisse (551—6). affert igitur argumentum iam ab Aeschylo Eum. 658 sqq. usurpatum, quod Sophocles quoque El. 341 sq. respicit. sed quod Euripides tacet de Minerva, ad quam apud Aeschylum Apollo huius sententiae confirmandae causa provocat (662—6), nonnulli eum hoc ideo fecisse opinantur, ut Aeschyli argumentum testimonio omisso in risum verteret. at haec coniectura eo est ineptior, quod Anaxagoras, quocum quin Euripidi usus fuerit familiaritatis, dubitari non potest et ad cuius doctrinam cum in aliis fabulis tum in Oreste (v. 983, cf. p. 69, 11) allusit, de hominis atque animalium procreatione idem sensit (A 107 Di.). Euripides, cuius intererat quam plurima argumenta congerere, satis habuit hanc rem ita significare, ut spectatores in memoriam loci Aeschylei celeberrimi revocaret[12]). deinde Orestes vv. 572—8 Clytaemestram se iure necasse dicit, quippe quae omnium Graecorum ducem atque imperatorem, ne ipsa coniugi domum reverso

---

[10]) Valde sane displicet Oresten etiam de matre sua uberibus nudatis filium, ut sibi parcat, orante, de scaena vere tragica, sine ullo horrore vel paenitentia loqui (567 sq.); sed recte adnotavit Weilius: *‚le poète cherche à composer un plaidoyer habile, sans trop s'inquiéter de ce qui convient au personnage qui parle'*.

[11]) Quos auctores Euripides hoc loco secutus sit, post Hermannum, Hartungium, alios eruere studet Steiger Progr. 12, 15.

[12]) Versus 554 quidem neglegentius est dictus, quam ut iocos effugeret comicorum (cf. schol. a. l.): solent comici sententias e contextu ereptas irridere, cf. e. gr. schol. 234.

poenas adulterii daret, interfecerit; apertum est Euripidem hic Aeschyli Eum. 625—37 imitari, nec vero sine mutatione: etenim cum apud Aeschylum facinus Clytaemestrae eo turpius esse dicatur, quod non hominem simplicem, sed virum *παντόσεμνον* atque imperatorem (Eum. 637) occiderit, ille adicit Agamemnonem ‚pro tota Graecia' arma tulisse exercituique praefuisse (574), ita ut hoc quoque loco, sicut antea vv. 564—71, Orestes patrem ultus omnium Graecorum causam egisse videatur. tum Orestes vv. 580—84 contra ea, quae Tyndareus v. 530 sqq. dixit, monet e Furiarum persecutione minime sequi, ut dei matricidium condemnent, quia, nisi Clytaemestram interfecisset, Agamemno Diras in se, quod officio erga patrem ac pietati deesset, instigaturus fuerit. haec ad Aesch. Eum. 598 sqq. (imprimis 604) referenda esse verisimile est. quamquam omisit Euripides, quod huic loco non conveniebat, Furias nullas alias caedes persequi nisi consanguineorum paricidia; omisit autem eo maiore iure, quod dearum potestas alibi non tam anguste coercetur (cf. e. gr. Aeschylum ipsum Eum. 316 sqq., ib. 334 sqq. et Soph. El. 112 sqq.). quod denique Orestes exitu orationis Phoebum appellat, cuius iussu matrem necaverit, nemo est, quin multorum Eumenidum versuum statim reminiscatur. —— verrum cetera quae Orestes profert argumenta ab Euripide ipso videntur esse excogitata, quorum e numero duo hic affero: postquam argumento illo Aeschyleo usus disseruit, qua de causa matrem occidere ausus esset (551 sqq.), v. 564 sqq. hoc facinore se de Graecis optime esse meritum probat; illa interfecta omnes se uxores, ne viros interimerent, deterruisse[13]). eiusmodi argumentationes, quamvis frigidae nobis videantur, in hisce disputationibus tamen sunt creberrimae. similem speciem praebent versus 585—7, quibus Orestes ‚antenclematos' ope culpam paricidii in Tyndareum ut Clytaemestrae genitorem confert. haec duo argumenta procul dubio Euripidem redolent. —— paucis denique exemplis, qua arte poeta Oresten se defendentem faciat, illustremus. orditur ille a prooemio summae erga avum verecundiae pleno, quo benevolentiam eius captat, a Wilamowitzio (Herm. 59, 257) optime enarrato. porro adulterium, quod Clytaemestra cum Aegistho commisit, cum commemorarit, scienter illum, cuius in hac fabula rarissima mentio habetur, in hac oratione priorem nominat, quasi caedes matris additamentum modo illius necis et minoris fuerit momenti: *τοῦτον κατέκτειν', ἐπὶ δ' ἔθυσα μητέρα* (562). cum denique Tyndareus hac in re testibus opus esse v. 532 sq. negaverit, Orestes testes affert duo, quos repetitione verbi *ὁρᾷς* coniungit (588, 591). quorum alter est Apollo, verus matricidii auctor: sic gravissimum argu-

[13]) Idem argumentum adhibet in contione 935—42.

mentum consulto ad ultimum reservavit; quanta autem sagacitate vv. 591—9 argumentationem poeta acuerit, hos versus diligenter legenti facile apparebit[14]).

4. At ne longiores simus, nunc demum eo revertamur, unde digressi sumus. Euripidem Oresten fabulam scripsisse, quod mythum carpere, Phoebum incessere, de matricidio disceptare voluisset, nos quidem negabamus. quodsi quaerimus, quomodo tot viri docti a recta via deflexerint, statim cognoscimus istos maxime ea re esse deceptos, quod hanc fabulam vel idem velle atque eiusdem poetae Electram vel ad Electram Sophocleam impugnandam esse conditam sibi persuaserant. sed quamquam Euripidem, cum Oresten conderet, Electrae suae memorem fuisse e scaena quadam tota non minus quam singulis versibus apparet[15]), tamen ex hac re nequaquam sequitur, ut voluntas harum fabularum eadem sit. an ratio Herculis, cuius fabulae locos complures Euripides in Oreste expressit (cf. p. 56 sq.), cum Orestis congruit? quod autem Sophoclis Electram attinet[16]), viros doctos in similitudinibus, quae inter hanc fabulam et Oresten intercederent, investigandos nimios fuisse censeo. plerique enim quos e Sophoclis Electra fluxisse putant versus aut loci sunt communes aut ex constantia atque aequabilitate dictionis tragicae satis explicantur aut tales sunt, quales nemo nisi philologus assimulandi cupidus comparare audeat. quibus remotis soli restant versus 1246—1352, de quibus infra agam, ubi Euripidem hic minime anxie Sophoclis vestigia pressisse monebo (cf. p. 60), et versus 615 sqq., quibus mores Electrae ita describuntur ut apud Sophoclem (cf. p. 70). nam viri docti si arbitrantur Euripidem filum argumenti deducentem ab Electra Sophoclea esse profectum et huic fabulae Oresten quasi continuari, valde errant. afferunt praecipue id argumentum, quod secundum ea, quae in Oreste leguntur, non statim post matricidium deus apparuit, qui matricidam e patria discedere iuberet (sicut in El.

[14]) Vocabula *ἀξιόχρεως* et *ἀναφέρειν* (597) in iudiciis Atticis sollemnia videntur fuisse; de *ἀναφ.* v. p. 76, de *ἀξ.* cf. e. gr. Plat. Legg. XI 914 D (*ἐγγυητής*): ambo etiam Plat. Apol. 20E coniunguntur, qui locus sermonem redolet iudicialem (hic locus Platonicus Euripidei casu ac fortuito simillimus).

[15]) Pars episodii quarti altera (1098—1245) ad Electrae exemplum composita est (cf. p. 79). singulos versus affero hos: 26 sq. ~ El. 945, 63 ~ El. 14, 75 sq. ~ El. 1295 sqq., 367 ~ El. 156, 1668 sq. ~ El. 979; praeterea narratio mythologica 997 sqq. ad El. 699 sqq. referenda videtur (v. p. 68, 10; cf. etiam *χρυσόμαλλος* 998 ~ El. 724, *τέρας* 999 ~ El. 721), necnon sicut Clytaemestra El. 314 sqq. (cf. etiam 998 sqq.), ita Helena Or. 1431 sqq. praedam Troicam ostentat. incertiora —— velut 36 ~ El. 1253 (sed cf. IT. 82), 99 ~ El. 1111, 251 ~ El. 1083—5, 1313 sq. ~ El. 965 —— omisi.

[16]) Quaestionem difficillimam, utra Electra prior sit Sophoclea an Euripidea, consulto praetereo.

Eur.), immo iste (sicut apud Soph.) Argis mansit et regnare vult. ergo Euripides — equidem colligo — in Oreste Electrae suae exodum non respexit, quod eo minus miror, quod tragici Attici fabularum prius a se scriptarum saepissime rationem non habent; an quae in Oreste de Helena dicuntur, in fabulam Euripideam illius nomine appellatam quadrant? at ex hisce effici, ut Euripides Sophoclis Electram secutus sit, nego, praesertim cum Sophocles fabulam suam ita praeciderit, ut quid Oresti postea fiat, nec comperiamus neque interrogare nobis liceat.

5. Itaque etsi in Oreste Euripides in matricidium quam acerbissime invehitur, tamen summa huius fabulae, ut saepius iam dixi, non in mytho condemnando est posita. nimirum cum iis personis, quibus poeta actionem non traditam, sed a se excogitatam (v. cap. VII) mandavit gerendam, nex Clytaemestrae illata tam arte coniuncta erat, ut de hoc facinore verba fieri iterum atque iterum necesse esset. quibus occasionibus argumento datis Euripidem esse usum, ut mythum denuo reprehenderet, nemo tragoediarum eius peritus mirabitur. nec tamen neglegendum est etiam ea, quae multis litteratis nullam aliam ob causam videntur adhibita esse nisi ad mythum impugnandum, ipsa, quod vim effectumque dramaticum attinet, procul dubio esse gravissima. etenim quamquam ex insania Orestis, e turpi eius condicione clare cognoscimus, quam scelus sit nefandum matrem interficere, tamen haec omnia non, ut matricidii foeditas appareat, sed ut Orestis tantis malis laborantis nos misereat, nobis ante oculos proponuntur. quid? quod cives a matricidis abhorrent necnon iudicium capitis de iis facturi sunt, nonne in hoc ipso civium animo periculum Oresti imminens constat, quod usque ad peripetiam continuo ingravescere diximus? quid? quod Pylades matricidii particeps in exsilium est eiectus, nonne etiam hac eiectione poetae ad filum argumenti deducendum opus est, quia hoc modo et hic infelix redditur, hoc modo tres illos, quibus timemus, ab omnibus prodi neque ullum habere amicum videmus? sed cur repeto, quae lectores e superioribus capitulis iam cognita habent?

Praeterea matricidium Oresti ipsi nullo loco crimini vertitur, verum cum Apollinis mandatum exsecutus sit, culpa semper in deum transfertur, ita ut ne hoc quidem scelere horribili Oresten aversari cogamur. neque vero indignum videtur stasimum alterum (807 sqq.) cum cantico insequente a choro et Electra cantato (960 sqq.[17]) conferre. forsitan enim mireris, cur Euripides priore

[17]) Hoc canticum, quod in codicibus totum Electrae attribuitur, revera e carmine strophico chori (960–81) et monodia astrophica Electrae (982–1012) unice compositum esse duce Weilio Georgius Pasquali l. l. egregie probavit.

loco tam acriter Orestis facinus insectatus sit. sed semper, ut supra compluries notavimus, antinomiam illam significavit, quam hic quoque argute expressit verbis *τὸ καλὸν οὐ καλόν* (819); et cum in posterioribus huius fabulae partibus Oresten omni pacto purgaturus necnon, quantum sit scelus matricidium, prorsus omissurus sit, hoc quidem loco rursus atque ultimum de huius facti foeditate nos vult docere. contra v. 960 sqq. matricidium nefas esse silentio praeterit; nequaquam Orestes dicitur scelus fecisse, immo quae ei accidant mala fato fieri Pelopidarum. neque aliam enim ob causam Electra generis sui historiam percurrit, nisi ut suum malum agmen illud Tantalidarum malorum claudere demonstret (cf. 1010—12). ab iisdem partibus stat chorus, qui Oresten non accusat, sed v. 974 sq. de Pelopis progenie iudicat: *φθόνος νιν εἷλε θεόθεν ἅ τε δυσμενὴς φοινία ψῆφος ἐν πολίταις*. patet vero Euripidem, quippe qui Oresten servaturus sit, omni modo eum culpa liberare debere; quod ni faceret, ab exitu fabulae nimis abhorreremus. nam etsi nonnullos litteratos his locis nihil attribuere auctoritatis non ignoro, tamen eos, qui suo arbitrio alium locum sibi eligant ut gravissimum et poetae de sententia dictum, alium prorsus neglegant, indignos puto, quos refutem. nempe omnia quae profert Euripides aliqua ratione ad actionem spectare persuasum habeo et habebo.

6. At timeo, ne ea, quae nos de Oreste sentimus, quamvis anxie poetae verba sequamur, tamen habeant quid admirationis. itaque aliorum opinionibus refutatis priusquam dicam, quid mea quidem sententia Euripides in Oreste efficere voluerit, de recentissimarum eius tragoediarum voluntate in universum pauca exponam, nec tamen mea, sed quae iam ab aliis prolata ad Oresten recte interpretandam vix sint adhibita[17a]. dubitari non potest, quin Euripides in fabulis, quas ultimis vitae annis scripsit, deos et mythos aliter tractet atque in vetustioribus. cum enim in his studio flagranti deos impugnet, in posterioribus hoc studium magis magisque refrigeratur, non quo — ut e Bacchis quidam temere collegerunt — paenitentia ductus dis vulgo cultis denuo se dedat, sed quod desperare videtur se quaestiones ad res divinas spectantes persoluturum esse: in fabulis vetustioribus tanto est in deos invehendi ardore, ut saepius personas animi impetu impulsas ab iis, quibuscum loquuntur, ad deos ipsos vituperandi causa se avertentes faciat (e. gr. Med. 516 sqq.); contra in recentioribus cum haec deos impugnandi cupiditas sit sedata, homines deos non tam compellant quam cum aliis hominibus colloquentes obiter reprehen-

[17a]) Cf., quae Schad. l.l. 128 sqq. disseruit, non assentior Thaddaeo Zielinski, Trag. 312 sq.

dunt. praeterea cum in fabulis prius conditis tantum eius intersit de mythis ac rebus divinis disceptare, ut etiam nulla necessitate dramatica coactus de eiusmodi quaestionibus disputet (e. gr. Herc. 1316—9 et 1341—6), senex occasiones hoc modo philosophandi non captat, sed argumento oblatis utitur; qui fit, ut personae non iam in universum meditentur, quales sint dei, verum iudicent, an certus quidam deus, qui cum fabulae argumento artissime coniunctus est, adversus ipsas recte se gerat.

Quae postquam Schadewaldtio duce de animo Euripidis mutato ex ultimis eius tragoediis conclusimus, non solum minus miramur, quod summa Orestis non in matricidio condemnando posita est, sed etiam melius intellegimus, quid poeta in hac fabula de dis sentiat. convenit de nullo alio deo eum iudicare nisi de Apolline, quippe cuius iussu Orestes matrem interfecerit[18]), convenit Phoebum non invocari, sed in colloquiis et orationibus, ut res fert, vituperari: et vituperatur haud dubie magna acerbitate, cum omnis culpa matricidii, quod scelus esse foedissimum poeta saepe diserte dicit, in eum transferatur. nec tamen ullo loco Euripides eum tam vehementer incessit quam in fabulis vetustioribus (cf. e. gr. Andr. 1161—5, El. 971, ib. 1245 sq.[19]), immo eum taedio quodam in deos inquirendi affectum esse e versu 418 apparet: *δουλεύομεν θεοῖς, ὅ τι ποτ' εἰσὶν οἱ θεοί.*

7. Sed liceat de Phoebo pauca addere; etenim mirum est, ut Euripides eadem aetate, cum Apollinem Delphicum praeter ceteros invehitur deos — imprimis in Electra et Ione — loca et res Delphicas creberrime tangat idque ita, ut eum Delphos visisse pateat. cuius rei testimonium non modo est Ion fabula, quae Delphis geritur et qua Delphorum terra, aedificia, monumenta, instituta accurate describuntur, verum etiam aliae tragoediae post annum 415 conditae: Parnasum nive candidum commemorat Phoen. 206 et 234, Castaliam fontem ib. 222, plurima loca Delphica ib. 226 sqq.; imprimis autem pervigilia Bacchi a mulieribus Delphicis celebrata saepissime attingit, cf. IT. 1243 sq., Ion. 550—3 et 716 sq., Phoen. 226—8, Hypsip. frg. 752 Nck.², Ba. 306—8. quos locos eo maiore momento esse puto, quod antehac ad Delphos non sic allusit, ut eum hanc regionem suis oculis vidisse credas[20]). itaque Euri-

---

[18]) Cf. 28—31, 76, 121, 163—5, 191—3, 276, 285—7, 416 sqq., 595—9, 955 sq., 1665, 1666—9.

[19]) Clare hoc e versibus 416—8 cum El. 971 sqq. comparatis cognosci potest.

[20]) Wilamowitzio, qui eum iam ante Herculem scriptam Delphos visisse existimat (ad Herc. 790), assentiri nequeo. nam ex eo, quod v. 790 Parnasum silvis vestitum esse dicit, nequaquam sequitur, ut hunc montem ipse viderit: nimirum

pidem ante annum 413 nec vero multo ante Delphis moratum esse suspicor, quod pace Niciae auspiciis facta facile fieri poterat. sed qui fit, ut eodem tempore, quo terram Delphicam non sine amore describit, in Apollinem acerrime invehatur? coniceres ei ibi aliquid valde displicuisse — mores fortasse sacerdotum — nisi iam in Andromacha, quae circa annum 423 scripta videtur, vv. 1161—5 Phoebum vehementer accusavisset. casu igitur ac fortuito accidit, ut ultimis vitae annis compluries ad fabulas componendas ea argumenta eligeret, quibus Apollo detrectaretur.

At mirati sunt viri docti hunc deum in exitu Orestis fabulae ipsum apparere neque, ut in Electra et Ione, aliis dis quasi vicariis uti. quodsi nos recte existimamus hanc fabulam non ad deos mythumque impugnandos scriptam esse, poeta nihil habebat, cur Phoebum conspectum Orestis vitantem faceret. sed etsi Ion. 1555—9 Minerva dicit: *ἀφικόμην . . . Ἀπόλλωνος πάρα,*

ὃς ἐς μὲν ὄψιν σφῷν μολεῖν οὐκ ἠξίου,

μὴ τῶν πάροιθε μέμψις ἐς μέσον μόλῃ,

ἡμᾶς δὲ πέμπει . . . . ., tamen Euripidem etiam alia causa, quae viros doctos omnino videtur fugisse, adductum esse puto, ut pro illo Minervam induceret. constat patriae eum fuisse amantissimum et sedulo in fabulis res atque homines Atticos respexisse; quod studium in eligenda quoque dei ex machina quem dicunt persona cognosci potest. nam in Iphigenia T. non Apollo, qui Oresten in Tauros profectum signum Dianae rapere iusserit, non Diana, cuius simulacrum sit ablatum, cuius sacerdos templo effugerit, Thoanti furenti apparet, verum Minerva; quamquam in hac fabula nec Diana nec frater eius quicquam fecerunt, cuius eos puderet. sed Euripides, cum de cultus cuiusdam A t t i c i origine disserere vellet, hanc orationem apte attribuit Minervae, deae proprie A t t i c a e, cuius sub monte haec fabula doceretur et cuius aspectu animi spectatorum vehementius commoveri quam alterius cuiuslibet dei non ignoraret[21]). quae cum ita sint, num quis negabit etiam ea vaticinia, quae in Ionis exodo de imperio Atheniensium

---

v. 790 sq. montes celeberrimi, mons Apollinis et mons Musarum, victoriae Herculis celebrandae interesse iubentur, neque aliter res v. 240 sq. se habet, ubi servi ad Heliconem et Parnasum mittuntur lignatum. an Thebanos in Parnaso ligna caedentes fecisset, si Boeotiam et Phocida iam novisset? —— ceterum mea quidem sententia verba *ἐν πεύκαισι*, quae in prologo Hypsipylae leguntur (752, 2 Nck.[2]), non, ut Wilamowitzius putat, ad Parnasi pineta, sed ad faces in pervigiliis vibratas spectant (cf. Ion. 716, Phoen. 226 sq., Ba. 307). semper fere (praeter Hipp. 216) numerus pluralis *πεῦκαι* apud tragicos faces ostendit.

[21]) Assimulari potest Supplicum quoque Euripideae exitus, ubi eo tempore, cum fabula sine ullius dei ope iam ad finem perducta videtur, improvisa venit Minerva foedus Argivis imperatura cum Atheniensibus faciendum.

eduntur, deae, ut ita dicam, indigeti maxime convenire? ergo Apollinem in Ione non solum, quod Creusae filioque in conspectum se dare vix potest, sed etiam, quod poetae Minervam inducere interest, non prodire pro certo habeo[22]).

Caput V:

De Orestis fabulae consilio ac ratione.

1. Sed ad Oresten, a qua ad alias fabulas digressi sumus, redeamus. quoniam summam huius tragoediae non in mytho impugnando disque vituperandis esse positam vidimus, eo curiosius quaerimus, quidnam Euripides hic efficere voluerit. cui quaestioni multi ne recte responderent, ea re impediebantur, quod non a tota fabula, verum a singulis locis suo arbitrio electis proficiscebantur. et sunt loci, qui quamvis parvi sint revera in Oreste momenti, tamen hodie quidem tam graves esse videantur, ut facile in hac fabula intellegenda iusto amplius eos sequamur. imprimis huc pertinent ii versus, quibus Euripides primus ut videtur vim conscientiae descripsit (395 sqq.): plurimi sane aestimandus hic locus, quod historiam conscientiae humanae attinet, sed ad rationem Orestis eruendam paene nihil valet, cum poeta iis, quae hoc uno loco dixit, procedente fabula usus non sit. neque aliter de versu 251 iudicare possumus, ubi Orestes sororem, quae filias Tyndarei reprehendit, sic adhortatur: *σύ νυν διάφερε τῶν κακῶν · ἔξεστι γάρ.* conicias Euripidem, qui omnibus hominibus liberum esse arbitrium sibi persuaserit (cf. El. 1083 sq.), hic Orestis ore iis contradicere, qui homines fato gentis suae coactos scelera committere credunt. sed quid ex hoc versu voluntati huius fabulae lucramur? praeterea ne hoc quidem certum est hunc locum sic esse interpretandum. nam filias tantum Tyndarei neque omnem eius progeniem Venus exsecrata est, ita ut Electra a Tyndaridis impudicis se differre nullius dei ira prohibeatur. utut vero hoc est, omnes certe eiusmodi loci ornamenta, ut ita dicam, huius tragoediae sunt, non columnae trabesque.

2. Similiter ii versus se habent, quibus Euripides rem publicam Atheniensium tetigit aut dicitur saltem tetigisse. nonnullis enim e locis antiqui iam philologi coniecerunt poetam Cleophonti iratum, quod eo auctore Athenienses duobus annis ante pacis

---

[22]) Memoratu dignum videtur etiam in Electra Castores, qui pro Apolline apparent, ad res Athenienses alludere (1347 sq.). Apollo, si ipse veniret, de classe Atheniensium in Siciliam profecta loqui videtur nequire. attamen ultra procedere nolo.

condiciones a Lacedaemoniis ultro latas non accepissent, in hac fabula eum acriter impugnasse (cf. scholl. 772, 903 sq., 1682, v. etiam schol. 371). quam opinionem non ab omnibus scrupulis remotam litterati recentiores non solum libenter comprobarunt, sed etiam novis auxerunt coniecturis. at ego facere non possum, ut e poetae verbis haec necessario sequi concedam. incertioribus vero (velut versu 772) omissis duo exstant loci, qui nobis accuratius examinandi sunt, contio Argivorum v. 884 sqq. descripta et Apollinis iussum 1682 sq.

Incipiamus a loco priore; nec dubitari potest, quin Euripides hanc contionem ad exemplum conformarit Atticarum moresque suae aetatis demagogorum Atheniensium per eorum quos apud Argivos contionantes fecit personas depinxerit, sicut etiam alibi res illorum temporum similem in modum respexit. exordium huius contionis eodem fit ritu atque Athenis; namque verbis *τίς χρήζει λέγειν* (885) formulam illam Atticam *τίς ἀγορεύειν βούλεται* exprimi recte adnotaverunt interpretes (cf. Arist. Ach. 45 et Eccl. 130, Demosth. de cor. 170). qui tum surgunt oratores Argivi, diversis contionatorum generibus, qualia Euripides semper in patria ante oculos habebat, attribuendi sunt: primus dicit homo bilinguis et qui ad voluntatem potentium loquatur (887—94[1]); sequitur vir, ut ita dicam, conciliatorius, qui inter sententias quae proferri possunt diversissimas medium quendam studet tenere cursum (898 sqq.[2]); tum verba facit clamator insolens ac vilis, ea quae alius quispiam ei suggessit pronuntians (902—16[3]); hunc excipit vir probus et sincerus. sicut vero hi oratores *τύποις* quibusdam demagogorum Atheniensium respondent, ita eventus quoque contionis is est, ut Euripidem hoc loco civibus suis quasi speculum obtendisse, in quo vitia sua aspicerent, in propatulo sit. non enim vir honestus, qui bonorum plausum tulit (930), Argivis persuadet, sed contionator ille vilissimus vulgo, ut par est, maxime placet; nec dubium est, quin eadem ratione apud Athenienses creberrime non is vicerit, qui *τοῖς γε χρηστοῖς εὖ λέγειν ἐφαίνετο* (930), verum

[1]) Talthybius praeco in mytho quodam Euripide vetustiore liberis Agamemnonis fidelissimus est (cf. Rob., B. u. L. 149 sqq.). at poeta hoc loco id odium, quod semper habet in praecones, in eum transfert (cf. schol. 896 et Wil., Her. I² 122 adn. 18); itaque adicit etiam sententiam, qua praecones universos acriter incessit (895—7).

[2]) Hic Diomedes est procul dubio Tydei filius, quem Homerus *γ* 180 sqq. Troia excisa Argos revertisse narrat; errores igitur eius Euripides hoc loco neglexit.

[3]) Versus 907—13 recte seclusit Ad. Kirchhoff; aliter enim *ὅς* v. 914 intellegi nequit. nimirum librarius aliquis hos versus a lectore antiquo in margine adscriptos perperam in textum recepit. ceterum non minus sunt corrupti quam alii versus, quibus idem accidit, velut versus 667 sq., qui vitiati in Herculem sunt inculcati (1338 sq., cf. Wil. a. l.). —— praeterea versus 909 in eadem cadit verba ac versus 773, at nil hinc possum cognoscere.

ἐκεῖνος ὁ κακὸς ἐν πλήθει λέγων (944). attamen Euripides malus fuisset poeta, si ratione fabulae neglecta nulla alia re nisi quod mores Atheniensium castigare studebat, adductus esset, ut contionem ita conformaret; nempe omnia quae profert ex re sunt actionis. itaque si Oresten a huiusce generis contione facit damnari, efficere vult, ut hoc iudicium iniustum esse existimemus neve eum aversemur, cum civibus invitis se et suos vi servare conaturus sit. —— sed de viro illo probo, qui quartus loquitur (917 sqq.), pauca addere debemus; qui a poeta non minus laudatur, quam qui antecedit contionator detrectatur. est homo agrestis, si non pulcher, tamen fortis atque a lenociniis urbis incorruptus; itaque quae dicit placere bonis consentaneum est. similis igitur est agricolae illius, cui Electra in fabula Euripidea ipsius nomine appellata in matrimonium est data, nec dissimilis est nuntii, qui contionem narrat (cf. 866—70[4]). unde sequitur, ut Euripides senex corruptos urbanorum mores fastidiens in continentia atque integritate rusticorum salutem esse positam rei publicae putaret (cf. v. 920 *οἵπερ καὶ μόνοι σῴζουσι γῆν*, similiter de plebe media Suppl. 244); ineptissimus igitur est, siquis hunc totum locum cum quadam ironia scriptum esse contendit.

Atqui aliud est omnia in hac Argivorum contione eadem ratione fieri, qua Athenis solebant, et eadem genera oratorum prodire atque apud Athenienses, aliud poetam ad certas quasdam res tum in patria gestas et certos quosdam demagogos alludere; et hoc tam ab Euripidis ingenio abhorret, quam illud ei convenit. attamen plerique scholia (903 sq.) secuti versus 902—6 in Cleophontem scriptos putant, praesertim cum verbis *Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος, ἠναγκασμένος* (904), Cleophontem, quem comici a Thracibus ortum esse contendebant, aperte significari sibi persuaserint (cf. e. gr. Herm. a. l., Pohlenz l. l. I 450). verum multa sunt, quae huic opinioni contradicas: primum enim vocabulum *ἠναγκασμένος* nemo adhuc recte videtur interpretatus esse, quia an ita intellegendum sit, ut vult Hermannus, qui a. l. Aristophanis verba Av. 32 *ὢν οὐκ ἀστὸς εἰσβιάζεται* confert, iure dubitant Hartungius et Weilius (a. l.). *ἠναγκασμένος* nihil aliud est nisi ‚coactus', ‚invitus'; sed quis eum coegit Argivum fieri? nonne eum ipsum civitatem consequi voluisse credas? deinde ex eo, quod contionator iste civis est adventicius, minime sequitur, ut hic locus ad Cleophontem pertineat. nam et comici tam saepe eorum, qui rem publicam gerunt, genus atque originem in suspicionem adducunt, ut has calumnias communem

---

[4]) Cum hic rusticus v. 919 raro oppidum forumque visere dicatur, memoratu est dignum in Bacchis pastorem induci *πλάνητα κατ' ἄστυ* (717), cuius consilium, ut exspectare potes, haud bene evenit.

paene locum vocare possis, et bello Peloponnesiaco procedente multi in civitatem obrepebant, qui antea contumeliose repulsi essent. tum veri est dissimillimum, cum ceteri oratores Argivi generibus contionatorum Atheniensium respondeant, hunc unum ad certum quendam demagogum esse referendum. quod denique Euripides Cleophontem ut in bello perseverandi auctorem odisse dicitur, hoc loco ne unum quidem verbum ad hanc rem spectare moneo; huc accedit, quod eo tempore, cum hanc fabulam scribebat poeta, Alcibiadis auspiciis res Athenienses tam prospere procedebant, ut calamitatem ac cladem gravissimam imminere nemo suspicari posset.

Sed altero loco (1682 sq.), ad quem iam transimus, haud scio an mireris, quod ‚Pacem, pulcherrimam dearum', Apollo iubet coli. sane hi versus desiderium pacis, quo Euripides affectus erat, redolent, quippe qui fabulis iam a. 415 doctis — ‚trilogia Troica' quae vocatur — bellum dissuaserit. verum ad fabulae rationem eruendam non plus valent quam in Electra versus 1347 sq., quibus poeta ad expeditionem in Siciliam faciendam allusit. ceterum etiam iis obloquar, qui Euripidem nomine *Εἰρήνης* commemorato, cum haec vox illis temporibus in sermonem publicum sit conclusa, fines argumenti transgressum esse putant, unde hunc locum ad res Athenienses pertinere colligunt[5]. nimirum *εἰρήνη* non solum bellum extremum, sed etiam quamlibet *στάσιν* sequitur[6]), et cum discordia orta sit inter cives et heredem regni necnon Menelaus rerum Argivarum se potiturum esse speret (cf. 1660 sq., 1664), nihil habemus, quod negemus *εἰρήνης* commemorationem ad fabulae rationem quadrare. sed ut Euripides omnibus quos attulimus locis, sicut illi opinantur, Cleophontem et rem publicam significet, tamen in fabulae consilium anquirentes vix levem consequimur umbram, quia haec singula tantum sunt et in quibus summa tragoediae non sit posita.

3. Quid igitur Euripidi in Oreste propositum est? vitam depingere hominum. nam quo magis desistebat rationis ope deos, quos vulgus venerabatur, impugnare et de omnibus rebus divinis atque humanis philosophorum more disputare, eo diligentius vitam ac mores eorum qui tum erant hominum describere studebat[7]). veros homines, quales omnibus temporibus ubicumque terrarum inveniuntur, non heroas in scaenam producebat, quamquam he-

[5]) Cf. Pohl. l. l. I 450 sq.

[6]) Cf. Br. Keil, *Εἰρήνη*, Ber. d. phil.-hist. Kl. d. Sächs. Ges. d. Wiss. LXVIII (1916) fasc. 4, p. 5.

[7]) Optime de hac re gravissima, quam ego hoc loco amplius tractare non possum, Schad. egit (l. l. passim, imprimis 258, cf. etiam 254 et 247).

roum nominibus usque ad ultimum usus. et verus homo, non heros est, quisquis in hac fabula prodit. hoc ut ex Helenae et Menelai naturis a poeta eximie depictis apparet, sic in ceteros quoque cadit, quorum mores supra fusius tractavi, quam ut mihi hic iterum de singulis agendum sit. nempe omnes ea carent animi magnitudine, quae heroas decet, omnes eadem faciunt ac sentiunt, quae tu et ego facere et sentire possumus; quam ob rem falsissimum est eodem modulo eos metiri atque Aeschyli personas, quas hominis modum excedere apertum est. huic mores describendi studio poeta usque eo indulsit, ut etiam Phrygis, barbari ac servi, infimam naturam vivide nobis repraesentaret. sed cum argumenta tragoediarum nihilo minus e mythis promeret, discrepantia hominum, quorum mores imitando exprimebat, et heroum, quorum personis utebatur, orta est maxima, non quo hoc modo mythos vellet irridere, sed quod illorum temporum homines aperte in scaenam producere ei non licebat. huc et exitus fabularum referendi sunt, in quibus Euripides saepius ea, quae antea dixit, prorsus neglegere videtur: revertitur enim in exodo ad mythos, a quibus antehac et in argumento et in moribus personarum fingendis longe discessit. his cognitis etiam de Helena in Orestis exitu in caelum assumpta rectius iudicare possumus; quae postquam antea minime heroinam vel filiam Iovis se praebuit, in fine deabus inseritur, mythi scilicet gratia. at siquis hanc repugnantiam, in quam poeta necessario incidit, ab eo consulto esse adhibitam censet, ut mythus sic detrectaretur, ab Euripidis senis mente valde aberrat. hae discrepantiae inter personarum mores et necessitatem mythi ortae quomodo a Novae quam vocant Comoediae auctoribus, veris artis Euripideae heredibus, sublatae sint, post praeclarissimas tot virorum doctorum curas non est, cur ego rursus exponam.

Quod autem adhuc de hominum natura diximus, idem de iis, quae in hac fabula geruntur, dicere possumus; quae saepe ita sunt comparata, ut omissis personarum nominibus haec Euripidis temporibus Athenis facta esse putes (v. Geffck. l. l. 213; cf. etiam Friedl. l. l. II 102 sqq.). duae scaenae praeter ceteras ad verum sunt expressae, contio Argivorum, quam *ἐκκλησίαις* Atheniensibus simillimam esse demonstravimus, et episodium primum, in quo Electra fratrem aegrotum sedulo curans, ut verbis utar Hermanni, ‚spectaculum praebet, quale in quavis domo videre licet‘ (praef. p. XI). sed cum ille pro ea antiquitatis scientia, quam tum habebant philologi, Euripidi crimini verterit, quod istud spectaculum ‚miserabile quidem esset, sed nihil haberet, quod animum aliqua magnae et gravis rei cogitatione erigeret‘ (l. l.), nos concedere debemus Euripidem senem admirabili audacia novae cuiusdam artis, quam Menander ad fastigium erat perducturus, iecisse fundamenta.

quod nihilo minus ii concedere debent, qui — velut ego — huic, ut ita dicam, veritati gravitatem Aeschyli ac sublimitatem longe praeferunt.

4. Sed haec Oresti cum aliis fabulis ab Euripide aetate provecta conditis communia sunt; nunc vero ad huius quidem tragoediae rationem accuratius definiendam procedamus. nihil aliud, quantum nos videmus, poeta nobis repraesentare vult nisi hominem pro vita pugnantem: in homine miserrimo ac desperato, qui necem non esse effugiturus videtur, impetibus iniuriisque adversariorum ipsis appetitus oritur vitae omni modo conservandae et magis magisque in scaenas increscit, donec ille cunctis perfunctus periculis *σωτηρίαν* assequatur.

Huc etiam ea referenda sunt, quae supra de ductu actionis et moribus personarum statuimus. ut enim videamus, quanta in calamitate Orestes incipiente iam fabula sit, iis scaenis, quas expositioni attribuimus, de miseria eius fuse edocemur: cum periculo capitis, quod ei a civibus intentatur, coniunguntur infirmitas corporis, morbus animi, desperatio. quo magis autem periculum ingravescit, eo maiore studio atque opera Orestes vitam defendit; namque lucis amor, quo ille ut homo incensus est, primo aliis affectibus quasi obstupefit: sed quanto plures ei exsistunt inimici, quanto magis imminuitur spes salutis, tanto ardentius cupit vitam conservare[8]. et cum initio matricidium a deo iussum nefas fuisse non ignorarit, procedente fabula, dum pravissimis cum adversariis pugnat, haec conscientia magis ac magis evanescit. quodsi quomodo Orestes vitam conservare studeat, accuratius contemplamur, tres possumus gradus discernere, qui periculo ingravescenti respondent: primo omni spe salutis in Menelao posita aeger ac debilis nihil aliud agit, nisi quod eum impense orat, ut sibi contra cives adsit, necnon Tyndareo persuadere conatur se aliter facere non potuisse; animadvertere vero debemus nondum Oresten sua sponte quicquam agere, sed a Menelao, cum ille ipse ad eum venerit, auxilium petere, a Tyndareo vehementer accusatum crimina eius refellere. tum postquam vel a consanguineo suo destitutus est, ipse in contionem proficiscitur, ut causam suam defendat, sperans rationes suas civibus esse placituras. postremo ab his iudicibus vilissimis iniuria capitis damnatus omni ope nititur, ut etiam contra leges per vim se et sororem servet. — quibus de cursu actionis dictis breviter de moribus personarum agamus. etenim cum Orestis mores ita esse comparatos exposuerimus, ut ei favere debeamus, in discrimine

[8]) Cupiditatem sui conservandi in Orestis animo pedetemptim increscere cognoverunt Steiger (Eur. 37) et Pohlenzius (l. l. 445 sq.), qui tamen hac observatione non recte usi sunt.

periculi versanti timemus, una cum eo in Menelao, in contione spem ponimus, de salute ab Argivis damnati paene desperamus, rebus prospere gestis gaudium eius gaudemus. sed ne quid de nostra in Oresten de vita pugnantem benevolentia deminuatur, necesse est adversarios eius quam maxime detrectari; qua de causa Menelaus pessimum se praebet, cives autem tales sunt, ut Oresten iudicium eorum neglegentem recte facere censeamus.

Quod autem haec fabula in Orestis salutem exit, memoratu dignum videtur inde a prologo usque ad finem animos nostros a poeta in hanc salutem converti, quod, ut de aliis rebus hic taceamus, vel e verbis *σώιζειν* et *σωτηρία* identidem adhibitis apparet[9]). vitam vero — cui conservandae Oresten maxime operam dare vidimus — hominibus summum esse bonum poeta audientes saepe monet, non solum Orestis (645, 679) et Electrae (1034, 1336) ore, verum etiam Hermionae (1335) et Phrygis (1509, 1523). et convenit iis, quae supra de novissimarum Euripidis fabularum indole diximus, non heroa cum fato congressum in interitu ipso fortem ac magnanimum se praestare, sed hominem summa in calamitate versantem hanc vitam miseram conservare studere. quamquam ii, qui hunc vitae amorem turpem Oresteque indignum esse putant, non modo poetam veros homines inducere velle, sed etiam Graecos de hac re aliter iudicasse ac nos prorsus neglegunt. nempe nos et libris divinis et poetarum nostrorum sapientiumque scriptis vitam esse contemnendam iam inde a pueris edocemur, ut illud Schilleri: *Das Leben ist der Güter höchstes nicht* procul dubio recte dictum existimemus. contra quid de hac re Graeci senserint, ex loco Odysseae celeberrimo cognoscimus, quo Achilles se operarium, dummodo vivat, esse malle quam umbrarum regem diserte dicit (λ 489—91).

5. Haec Orestis salus, ad quam tota fabula spectat, post peripetiam per dolum atque insidias appetitur. continet igitur altera pars tragoediae id ipsum, quod plerique hodie ‚*Intrige*' vocant, Fridericus autem Solmsen, qui l. l. eximie de hac re egit, *μηχάνημα*: quo verbo nos quoque brevitatis causa utemur.

Ac primo iam obtutu videmus *μηχανήματα*, quae in Oreste parantur, esse duplicia: priora Helenae, posteriora Hermionae tenduntur; et alterum consilium Orestes suique post alterum capiunt, alterum post alterum exsequuntur. apparet hanc compositionem simillimam esse Electrae Euripideae, ubi eodem modo insidiae in

---

[9]) *σώιζειν* invenitur 70, 384, 645, 779, 1059, 1152, 1195, 1234, 1345, 1534, *σωτηρία* 678, 724, 778, 1173, 1178, 1188, 1203, 1343, 1348, praeterea *σωτήριος* 657, *φώς* 243.

Aegisthum et Clytaemestram struuntur[10]). sed hae duae fabulae eo differunt, quod in Electra utraeque insidiae eadem de causa, in Oreste autem diversis de causis fiunt; etenim et Aegisthus et Clytaemestra ad Agamemnonem ulciscendum interficiuntur, cum in Oreste Helena opprimatur ultionis, Hermiona obses capiatur salutis causa.

Age vero iam singulas quae huc pertinent res tractemus, ita tamen ut ea, quae nos in Oreste invenimus, ad ea referamus, quae Fr. Solmsen in universum exposuit. ac primum huius tragoediae argumentum non minus quam ceterarum quae *μηχανήματα* continent fabularum ab Euripide ipso excogitatum est, ut in capitulo septimo uberius demonstrabimus (cf. Solms. l. l. 3). deinde magni est momenti omnia haec *μηχανήματα* a poeta minime ad honestum ac iustum referri, qua de re Solmsenius l. l. 4 haec scripsit: ,*Ethische Bedenken sind offenbar bei solchen μηχανήματα ausgeschaltet, das καλόν existiert für sie nicht. Die eigene σωτηρία und εὐτυχία oder aber das Verderben des Gegners ist das Ziel*', et p. 10: ,*(... daß das μηχ.) nirgends in einen dramatisch fruchtbaren Konflikt mit sittlichen Normen eintritt*'. unde iis, quae supra exposuimus, novum accrescit argumentum, quia quam falsum sit putare insidias Helenae et Hermionae paratas a poeta ideo fictas esse, ut Orestis suorumque pravitas feritasque appareret, nunc denuo cognoscimus. iis autem, quae supra de Helena Hermionaque insidiandis disseruimus (cap. III), hic pauca de alia re adiciamus: vituperant enim viri docti Oresten, quod quamquam Argivi ea tantum condicione, ut ille et soror intra istius diei fines se interimant, non ipsi supplicium sumpserunt (947 sq.), tamen fide fracta per vim se servare studet. sed ut non dicam promissum huic contioni iniustissimae datum nullius esse pretii, poetae certe animus eo apparet, quod de fide ab Oreste violata consulto tacet: nimirum hoc promissum poeta idcirco adhibet, ut a priore parte fabulae ad alteram transitum faciat, cum necesse sit Oresten et ad periculum quam maxime augendum a civibus capitis damnari et peripetiae praeparandae causa manibus eorum eripi; quo munere perfecto Euripides promissum non iam respicit.

Sed redeamus in viam. convenit Orestis fabulae aetati personas non, sicut in tragoediis vetustioribus (cf. Med. et Hipp.), motu quodam animi incitatas adversarios perdere velle, verum, sicut in Helena et Iphigenia T., in periculo versantes salutem appetere (l. l. 6 sqq.). at coniungitur in Oreste cum studio vitae conservandae ulciscendi cupido, qua adducti Helenam opprimunt (l. l. 9, adn. 27),

[10]) Imprimis ea scaena, in qua Orestes Electra Pylades insidiandi consilium ineunt (1098—1245), ad exemplum Electrae versuum 598—693 expressa videtur; cf. p. 79.

quamvis impetum illum vehementissimum, quo Medea et Phaedra ad facinora trahuntur, in tragoedia tam recenti deesse consentaneum sit. coniunguntur autem haec duo consilia eo modo, ut Orestes Pyladesque, etsi spem habent tenuem forte fortuna se mortem effugituros esse (1151 sq., 1172 sqq.), tamen, unde petenda sit salus, ipsi nesciant, sciat vero Electra, sicut saepius apud Euripidem, viri si nullam inveniunt viam, mulieres habent, quod suadeant (cf. IT. 1029 sqq., Hel. 815 sqq., ib. 1040 sqq., Ion. 985 sqq.) necnon eiusmodi μηχανήματα praecipue a mulieribus excoquuntur (l. l. 7). praeterea etiam hoc Oresti cum recentioribus poetae tragoediis commune est, quod scaena, in qua de rebus gerendis longum consilium habetur, insidias praecedit (l. l. 9). sed licet omnia insidiantes quam accuratissime circumspexerint, Fortuna quid valeat sentiunt, cum et Helena divinitus gladium effugiat et Oresti cum Menelao agenti Apollo appareat litem compositum (ib.). quod autem insidiae posteriorem demum Orestis partem occupant, notandum est ne hoc quidem huius fabulae proprium esse; nam etiam Electrae, Iphigeniae T. Helenaeque alterae quidem partes μηχανήματα continent, cum priores ad recognitionem germanorum vel coniugum spectent (l. l. 2[11]) — ut omittam Euripidem omnino in tragoediis componendis argumenta bipertita adamasse. nec tamen verba mea ita accipias, quasi Oresten in duas partes laxe tantum cohaerentes discissam putem: immo ex omnibus, quae de ductu actionis, de moribus personarum, de fabulae ratione supra exposuimus, quam simplex sit atque una apparet.

Haec omnia Solmsenio duce ideo disserui, ut ceteris quae huc cadunt fabulis collatis clare intellegeremus etiam multas res, quae in Oreste aliquid admirationis habere viderentur, revera communi harum tragoediarum indole satis explicari. maioris autem hisce singulis rebus momenti esse puto eiusmodi μηχανήματα apud Euripidem non tamquam adiumenta vel ornamenta actioni fabulae esse addita, verum actionem in iis ipsis constare: ea non actioni utcumque inservire, sed sui esse iuris. ——

Unde progredimur ad aliud earum quas Euripides senex condidit fabularum proprium ac peculiare insigne. cum enim in tragoediis vetustioribus unus homo ab omnibus desertus vel omnes respuens solus contra Fatum consistat, in illis duae sunt factiones, altera proba et spectatoribus grata, altera prava et quae inferior discessura sit (insidiis autem usa ea pars, cui favemus, adversariam superat, ita ut iterum ad haec μηχανήματα revocemur). qui fit, ut tragica illa personae principalis solitudo

[11]) Etiam in Hel. et IT. aeque atque in Oreste pars prior maiores affectus continet posteriore.

omnino tollatur. nempe Orestes, ut non heros sed verus homo est (v. supra), sic non solus cum Fato congreditur, sed cum aliis coniunctus hominibus homines inimicos impugnat. nec casu accidit, ut in iisdem tragoediis, in quibus duae partes opponuntur, amicitia sodalitasque a poeta valde praedicetur (cf. Schad. l. l. 25[2], 1); nam quo acrius homines inter se pugnant, eo maiore fide ac constantia amicus amico, soror fratri adest. inde etiam amorem et familiaritatem, quam inter Oresten Electram Pyladen intercedere vidimus, melius intellegimus.

6. Sed antequam huic capitulo finem imponam, reliquum est, ut disputem, an Orestes vera sit tragoedia. qua de re antiquos iam dubitasse duobus e testimoniis apparet: Aristophanes Byz. in argumento huic fabulae praemisso haec dicit: *τὸ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν* (p. 93, 9 Schw.); copiosius autem scholio versui 1691 adscripto docemur tragoediam in luctum et ‚pathos', comoediam in pacem compositam reconciliatamque gratiam exire, unde haec fabula, in qua Orestes cum Menelao in gratiam redeat, comicum in modum terminari eluceat (p. 241, 8—11; similiter arg. Alc. II p. 215, 7 sqq. Schw.). at quod ab hoc philologo vetere inter tragoediarum et comoediarum exitus statuitur discrimen, quamquam in multas fabulas quadrat, tamen parum idoneum esse ille ipse videtur intellexisse, cum adiceret multa Orestis exitus similia apud tragicos inveniri (241, 13 sq.[12]). nempe, ne longius discedam, pleraeque, quas Euripides aetate provectus scripsit, tragoediae ut a maestitia incipiunt, sic in laetitiam exeunt (*ἐκ συμφορᾶς μὲν ἀρχόμενα, εἰς εὐδαιμονίαν ⟨δὲ⟩ καὶ χαρὰν λήξαντα*, arg. Alc. 215, 9 sq.). quodsi tragoedia Attica nihil aliud continet nisi *ἡρωικῆς τύχης περίστασιν*[13]), et Oresten cum hac definitione antiqua consentire concedendum est. — — sed multo aliter res se habet, si eam respicimus notionem, quam nos hodie vocabulo q. e. tragoedia subicimus. nam etiamsi controversias difficiles, quae inter multos et doctos viros de natura tragoediae ortae sunt, hoc loco tangere nolo, tamen hoc unum inter omnes fere videtur constare eas personas, quae in tragoediis primas agunt partes, magnitudine animi, quam iure tragicam voces, esse debere. quod si concessisti, Oresten veram tragoediam esse neges oportet, cum haec magnitudo, ut supra demonstravimus, et rebus et hominibus plane desit.

Etsi vero Orestis exitum a tragoediae Graecae natura non abhorrere vidimus, tamen ea scaena, in qua Phryx prodit, a sanc-

[12]) Cf. Wil., Einltg. 113.

[13]) Diomed. p. 487 K.; Theophrasti haec definitio.

titate ac gravitate, quae in nervis tragoediae videntur inhaerere, usque eo decedit, ut sint, qui Oresten satyrorum loco actam esse putent[14]). cui tamen opinioni scrupuli quidam obstant, quorum gravissimos hic breviter commemorabo[15]). una exstat tragoedia, quae quarto tetralogiae loco docta sit, Alcestis Euripidea, quae similiter atque Orestes a luctu in gaudium transit. at in Alcestide, quamquam satyri producuntur nulli, ea certe scaena, in qua Herculem conspicimus vinolentum (773 sqq.), Bacchicam praebet speciem, quam in Oreste prorsus desideramus. huc accedit aliud argumentum, quod equidem magni esse momenti existimo, quamvis ex exteriore forma petitum sit. veri enim est dissimile Euripidem post tres tragoedias longissimas, quantas senex componere solebat, quartam fabulam mille septingentorum fere versuum audientibus offerre ausum esse; contra Euripidis Cyclops circiter septingentos, Alcestis circiter mille centum quinquaginta versus complent, neque est, cur Sophoclis Indagatores modum mille versuum excessisse credamus. quod autem Phrygis personam attinet, eam ridiculam esse non infitior; sed poetam, qui mores hominum depingere volebat, hoc loco servum muliebrem ac barbarum inducere iuvabat. barbaros Euripidi seni cordi fuisse infra fusius disseremus. ceterum etiam in Aeschyli Choephoris (734 sqq.) Nutrix a gravitate, quam tragoedias solam decere putant, aliquantum descendit. et apud summum Britannorum poetam nonne saepius scaenae inveniuntur, quae criticis quondam a vera tragoediae natura discrepare videbantur? itaque Oresten satyrorum loco actam esse concedere non possum.

7. Haec sunt, quae de Orestis fabulae consilio disserere vellem. quae quamvis ex poetae ipsius verbis collecta sint, ne paucorum ferant plausum, equidem timeo. nam ceteris quae de Oreste prolatae sunt opinionibus mea multo est simplicior et caret ingenio ac subtilitate, quibus illae abundant. stupidus igitur haud dubie videbor iis, qui, quanta sunt sagacitate, etiam inter singulos huius fabulae versus aliquid scriptum reperiant et ea, quae poeta aperte dixit, nemini nisi profano vulgo dicta putent. attamen eiusmodi vituperationes non magni aestimabo, quoniam opinionem meam et verbis poetae confirmari et cum arte indoleque recentissimarum Euripidis fabularum solam convenire mihi persuasi; certe de eo nihil detrahimus, si eum non philosophum vel morum praeceptorem, sed poetam, quem vitam humanam depingere iuvat, existimamus.

---

[14]) E. gr. Hartungius, praefat. p. V sqq., Raderm., Mus. Rhen. 57 (1902), p. 283.

[15]) Recte de hac quaestione iudicavit Weilius praef. p. 676 sq.

Caput VI:

De arte dramatica observatiunculae.

Inutile sane est, qua arte dramatica Euripides in Oreste usus sit, in universum disputare, praesertim cum plurimae quae huc spectant res, velut stasima, soliloquia, stichomythiae, iam ab aliis praestantius sint tractatae, quam ut quicquam emendare vel addere possim. itaque in iis quaestionibus me continere constitui, de quibus nova vel meliora me prolaturum esse spero.

1. Ac primum quidem viros doctos, quantum equidem video, omnino fugit Euripidem in Oreste tantam operam in vim uniuscuiusque scaenae augendam contulisse, ut ne discrepantias quidem hoc modo nascentes evitaret. quas discrepantias viri docti usque ad hunc diem aut versus aliquot eicientes aut locos, de quibus acturi sumus, nimis artificiose interpretantes tollere studuerunt. at satis habebo hos locos ita explicare, ut explicandos puto, aliorum coniecturas atque interpretationes minime curans.

Incipiamus ab iis, quae de Pyladae eiectione legimus; multi enim viderunt versus 765—7, quibus Pylades se a patre, cum matricidii particeps fuisset, in exsilium eiectum esse dicit, nequaquam congruere cum versibus 1075—7, ubi haec res prorsus neglegitur. hanc discrepantiam, quae velari non potest, quorsum admiserit Euripides, facile intellegemus, si alterius loci rationi dramaticae alterum magis convenire cognoverimus. nam loco priore poetae, ut supra fusius probavimus (p. 12), maxime interest calamitatem Orestis et suorum omni ope cumulare; itaque ne Pylades malis vacet, domo facit eum expelli. quamquam etiam hoc poetae consilio perspecto hic locus habet aliquid offensionis. namque miramur Pyladen eo tempore amicum dereliquisse, quo ille gravi morbo affectus ope eius praecipue indigebat, praesertim cum qua de causa Phocida profectus sit, non intellegamus. at in primis huius fabulae scaenis Pyladae locus non erat, quod poeta tres tantummodo histriones in potestate habebat necnon, si illum prius induxisset, Electrae Orestisque amor minus clare apparuisset. quodsi Pyladen primas per scaenas abisse ex re erat, poeta nonne meliorem absentiae causam excogitare poterat? immo, poterat, sed voluit filum argumenti ita deducere, ut Orestes Electra Pylades ab omnibus prodantur, ut soli sint inter homines sibi infestos; itaque necesse erat Pyladen ipsum a suis patria expelli. sic cognoscimus, quibus de causis Euripides hunc locum ita conformarit, quamquam laudare eum non possumus. —— sed aliter res v. 1075 sqq. se habet, quo loco poeta, cum audientes velit docere, quam arta sit inter

Oresten Pyladenque coniunctio ac familiaritas, Pyladen inducit amicum tantopere diligentem, ut sua sponte ac voluntate cum illo capitis damnato mortem sit oppetiturus. quodsi Euripides versuum 765—7 hic rationem haberet, Pylades extorris, a patre extrusus non magnam faceret iacturam, si Orestis gratia vitam miseram honesta morte vellet finire. immo vero hic Pylades, qui amico commori parat, rex est futurus Phociorum et heres divitiarum et cui domus patria praestoletur. ergo bene Euripides amicitiam Pyladae eo illustravit, quod iste hanc vitam felicissimam pro Oreste profundere in animo habet; quod ut efficeret, poeta ea, quae supra finxerat, hoc loco neglegere ausus est.

Ut de Pyladae exsilio, ita de eo Orestis propinquo pro diversa singulorum locorum ratione diversa proferuntur. etenim in capitulo insequente (p. 69) videbimus Euripidi optionem fuisse, utrum Pyladen hospitem tantum ac sodalem dicere mallet an Oresti cognatum; sed altero loco alteram traditionem ut magis idoneam adhibuit. nempe in episodio secundo, ubi infideli Menelao Pyladen fidum ac constantem opponit, ullo eum propinquitatis vinculo cum Oreste coniunctum esse consulto negat, quandoquidem hoc modo antithesin consequitur acutissimam: Menelaus quamvis consanguineus Oresti et Electrae deest, Pylades quamvis non cognatus iis strenue adest (cf. 804—6; v. supra p. 16). item in episodii quarti parte priore, cum Pylades nullo pacto se Oresti superstitem fore pronuntiet, poeta de sodalitate tantummodo, quae inter hos intercedat, loquitur (cf. *ἑταιρία* 1072 et 1079): nimirum Pyladae amicitia clarius lucet, si nulla alia necessitudine cum Oreste coniunctus est. contra cum in fine huius episodii una cum illo et Electra Agamemnonis Manes invocet, affert consanguinitatem, ut demonstret eodem se iure ac liberos auxilium ab eo petere (1233, cf. 1242). itaque poeta in hac quoque re non sine congruentiae damno singulis locis quam maximam vim attribuere studuit.

Neque aliter ii loci se habent, quibus nex Clytaemestrae illata commemoratur. quorum aliis Electram ipsam ferro matrem aggressam esse, aliis Pyladen Oresti Clytaemestram interficienti adfuisse legimus (cf. p. 69 sq.); unde concludimus Euripidem his formam mythi vetustiorem, illis Electram suam quinque annis ante doctam sequi. proinde videamus, quomodo Euripides hac quoque re ad vim singularum scaenarum augendam usus sit, sed, ne longi simus, duo tantum locos accuratius enarremus. in episodio primo Orestes Electram matri manus iniecisse verbis *σὺ μὲν γὰρ ἐπένευσας τάδ', εἴργασται δ' ἐμοὶ μητρῷιον αἷμα* (284 sq.) aperte negat; Electra igitur apud fratrem insanientem perdurat, non quod idem facinus atque ille in se admiserit, verum quamquam sanguine matris, quo Orestes contaminatus est, ipsa est casta. nonne vides, quantopere poeta

huius artificii ope amorem fidemque Electrae cumularit? at cum in precatione sollemni Orestes et sui Agamemnoni, quem ipsis auxiliari debere student probare, diserte obiciant, quae eius gratia fecerint, Electra v. 1235 se Clytaemestrae occidendae causa gladium apprehendisse gloriatur.

Ergo Euripides ex diversis traditionibus, quas audientes noverant, pro ratione dramatica modo hanc modo illam respexit. qua de poetae audacia ut recte existimemus, tragicos Atticos fabulas non ut a criticis perlegerentur, sed ut agerentur in scaena, composuisse semper animo tenendum est. nam equidem dubito, an audientes, dum ea, quae commodum in scaena geruntur, animis sequuntur attentis, perspiciant poetam de aliqua re nunc contrarium proferre ac permultis versibus ante. huc accedit, quod eiusmodi discrepantiae in rebus tantum, quae minoris sunt momenti, inveniuntur: nempe argumentum huius fabulae ex matricidio ab Oreste perpetrato oritur, quod factum nusquam revocatur in dubium; at utrum Electra an Pylades administer huius sceleris ei fuerit, quid summas quae in Oreste geruntur res attinet? —— ceterum plerique parum adhuc animadverterunt singulas scaenas, etsi eas inter se cohaerere consentaneum est, tamen quodammodo sui esse iuris et in alia aliud praevalere nec poetam earum rerum, quibus singulis locis ei opus est, postea, cum munere suo sunt functae, rationem ullam habere[1]). cuius rei exemplum praebent optimum, quae de morbo Orestis dicuntur. cum enim poeta initio fabulae, ubi ad misericordiam erga illum nos adducere vult, infirmitatem eius uberrime describat, procedente fabula magis ac magis eam praetermittit: inde ab episodio altero Orestes ut sanus agit, morbo a poeta non commemorato nisi ut Pyladae amor fidesque appareat (cf. 790 sqq., 880—83, 1014—17); post peripetiam autem morbus ne uno quidem verbo attingitur.

Sed etsi loci inter se repugnantes, de quibus disseruimus, ex poetae consiliis intellegi possunt, tamen hae discrepantiae etiam nostra interpretatione non tolluntur. et cum Euripides in aliis fabulis tantas discrepantias non videatur admisisse, Oresten indiligentius esse conditam dixeris. quae sententia aliis confirmatur repugnantiis non tam conspicuis, quas omnes hoc loco tractare longum est. etiam in rebus minimis indiligentiam quandam inveniri e versibus 1520—1 elucet, quo loco Phryx gladium vehementissime perhorrescens Oresti interroganti: *μὴ πέτρος γένηι δέδοικας, ὥστε Γοργόν᾽ εἰσιδών*; respondet: *μὴ μὲν οὖν νεκρός · τὸ Γοργοῦς δ᾽ οὐ κάτοιδ᾽ ἐγὼ κάρα.* negat igitur se ut barbarum eam

1) Vix est, quod lectores ad librum celeberrimum, quem Tycho de Wilamowitz-Moellendorff de Sophoclis arte dramatica scripsit, revocem.

fabulam Graecam, quam Orestes significavit, novisse. si vero haec fabula ei ignota est, unde scit caput ipsum Gorgus apolithosin efficere? notabile est Graecos, quod Gorgona attinet, usque eo de capite semper cogitasse, ut hoc loco poetae *Γοργόνα* et *Γοργοῦς κάρα* paene idem valere videantur. —— sed cave hasce indiligentias inde natas esse putes, quod Orestes ultimo demum antequam doceretur anno esse condita videtur; omnes enim tragoedias ut tragici Attici admodum brevi tempore scripserint, e fabularum copia sequitur.

2. Sed satis de his; iam trium personarum colloquium quomodo conformaverit Euripides, paucis verbis disceptemus. nam etsi Carolus Listmann dissertatione, quam in indice librorum attulimus, copiose de hac re egit, tamen quod ad Euripidem pertinet, valde ab eo dissentio.

Tragicos Graecos, postquam duobus actoribus tritagonista additus est, non statim tribus histrionibus perfecte uti potuisse, sed gradatim assuevisse eos omnes simul adhibere consentaneum est. cuius rei, ut de aliis fabulis taceam, exemplum exstat dilucidum Aiax Sophoclea. hucusque Listmannus rem acu tetigit; sed quod Euripidem in dialogis trium personarum componendis praestitisse Sophocli necnon ipsum in annos hos dialogos magis magisque excoluisse contendit, a vero plane aberravit[2]. etenim fabulas accuratius examinanti facile apparebit Euripidem senem quam rarissime tres personas inter se colloquentes induxisse.

Age vero, ut firmum sententiae nostrae iaciamus fundamentum, inspiciamus eam Electrae Euripideae scaenam, ubi Orestes Electra Paedagogus deliberant, quonam modo Aegisthum et Clytaemestram interficiant. quae deliberatio non ita est instituta, ut hae tres personae consilia inter se communicent, sed binae tantum loquuntur tertia silente: primum Orestes et Paedagogus de insidiis Aegistho parandis colloquuntur (598 sqq.), tum Electra Paedagogum de Clytaemestra insidianda docet (650 sqq.); paucissimi autem versus transitum faciunt ab altera parte ad alteram (646—9). elucet igitur — ut brevitatis causa verbis utar, quae ipse sum fabricatus — Euripidem pro triloquio biloquia adhibuisse succedentia. notandum vero est, cum totum per actum personae in scaena adsint tres, poetam nulla necessitudine exteriore — definitum dico histrionum numerum — triloquium evitare cogi. —— similiter Orestis episodium quartum se habet, ubi Orestes Electra Pylades colloquuntur (1018 sqq.); nam quamquam interdum, praecipue in posteriore parte huius episodii, biloquia sunt brevissima, tamen triloquium quod

---

[2]) Cf. quae p. 90—92 consummavit.

proprie dixeris nusquam invenitur[3]. nempe quod ad finem huius actus pertinet, Oresten Electram Pyladen alium post alium Agamemnonem mortuum alloqui, non inter se colloqui nemo est quem fugiat. sed haec biloquia, ne actus in partes diversas quasi disiceretur, a poeta plerumque diligenter sunt conexa[4].

Distat colloquium trium personarum ab Euripide hoc modo compositum quam maxime ab ea dialogi ratione, quam in fabulis nostrorum poetarum invenire consuevimus; qui in diverbiis conformandis nullum omnino schema adhibere solent. itaque haec Euripidis ars quin primo mira nobis videatur, fieri non potest. quodsi de eius tragoediis recte iudicare volumus, aperte concedere debemus, quantum haec colloquia instituendi ratio a tragicorum nostrorum differat. contra Listmannus hanc differentiam non solum nequaquam attigit, sed etiam contendit plerisque locis poetam satis diligenter explicasse, cur tertia persona ceteris colloquentibus muta adstaret. quam opinionem etsi multis Euripidis locis refellere possum, tamen ne longior sim, duo afferre satis habebo. in ea Orestis scaena, de qua modo locuti sumus, Pylades, dum Electra exponit, quomodo se servare possint, omnino tacet necnon ab Oreste demum compellatus loquitur (1209 sq.). attamen nos quidem exspectamus eum, ut cuius consilium emendet Electra, illius verbis tanta laetitia affectum iri, ut eam interpellans assensum suum ac gaudium exprimat. porro in Phoenissis Menoeceus, dum Creon cum Tiresia loquitur, nihil dicit (834—976); quod Listmannus l. l. p. 77 suo more — ut verbo ei carissimo utar — ‚psychologice' explicare studet. sed ut in posteriore huius scaenae parte Menoecea cogitationibus gravissimis deditum a colloquio se abstinere consentaneum est, sic in priore quod tacet, miramur: etenim Tiresiae v. 841 sqq. Menoecea interroganti non is, sed Creon v. 845 sqq. respondet; item v. 904 sqq., cum Tiresias quaesiverit, ubi Menoeceus esset, non iste, verum pater eius vatem certiorem facit. neque his locis nec multis aliis, qua de causa tertius histrio taceat, ex animis personarum intellegi potest; Listmannus autem, cum ‚psychologia' quam vocant abusus non perspexisset, quantum hi

---

[3]) Post Pyladae orationem chorus interponit trimetros duo (1153 sq.). attamen ne sic quidem triloquium fit, cum eiusmodi versus chori ab histrionibus non respici soleant.

[4]) Cum Euripides ceteris huius actus locis transitum ad biloquium insequens ita faciat, ut alter eorum qui loquuntur a collocutore suo ad personam tertiam se convertat, hoc inter versus 1176 et 1177 fieri nequire patet. sed has quoque partes poeta coaptavit. verba enim, a quibus Electra exorditur (1177 sq.):

ἐγὼ κασίγνητ' αὐτὸ τοῦτ' ἔχειν δοκῶ,
σωτηρίαν σοὶ τῷδέ τ' ἐκ τρίτων τ' ἐμοί

aperte ad finem orationis Orestis: . . . *εἴ ποθεν ἄελπτος παραπέσοι σωτηρία κτλ.* spectant.

loci a nostrorum poetarum arte distarent, paene necessario in errores incidit gravissimos.

Huc accedit, quod singulis diverbii formis parum distinctis omnes fere scaenas, in quibus tres personae adsunt et interdum verba faciunt, pro triloquiis habet. in triloquiis autem quae proprie dicas eos tantum locos numero, quibus tres personae nullo schemate impeditae inter se colloquuntur (e. gr. Herc. 1402 sqq., Soph. OR. 1110 sqq.). neque vero in triloquia cadunt eae scaenae, quae ex longis orationibus sunt compositae. nam Hel. 865—1029[5]) — quam scaenam exempli gratia affero — non tam Theonoa Menelaus Helena inter se colloquuntur, quam Helena ac maritus eius alter post alterum apud illam orationem habent; est igitur *ἀγών* duarum partium, quarum pro altera duae dicunt personae. nec maiore iure ii loci, quibus tres personae alia post aliam numen aliquod precantur, in triloquiorum numero ducendi sunt (El. 671 sqq., Or. 1225—45).

At his remotis si in veris triloquiis nos continemus, cognoscimus Euripidem aetate provectum ea, quantum fieri poterat, in biloquia compluria dissolvisse; contra ea triloquia, quae nobis absoluta videntur, non, ut Listmannus opinatur, in recentissimis fabulis, verum in Hercule (515 sqq., imprimis 1402—26) et Troadibus (895—918, 1036 sqq.) inveniuntur.

Quorsum autem vera triloquia Euripides senex sedulo evitavit? etenim poetam, si voluisset, ea componere potuisse et per se patet et ex fabulis, quas inter annos 425 et 415 condidit, apparet. sed quo magis senescebat Euripides, eo maiorem operam in simplicitatem ac perspicuam partium distinctionem conferebat. quod poetae studium Schadewaldtius l. l. p. 105 tam dilucide significavit, ut verba eius hic afferenda esse existimaverim: ‚*Im Gegensatz zu Sophokles, strebt die euripideische Tragödie einem Drama zu, in welchem die verschiedenen in der Handlung ruhenden Qualitäten nicht in lebendigem Strom ineinander verfließen, sondern geschieden und in dem gemäßen Rahmen gesammelt feste, klar voneinander gesonderte Schemata bilden. ... auch innerhalb des μέρος bildet sich bei Euripides eine saubere Trennung einzelner Handlungskomplexe weiter aus.*‘ unde etiam triloquiorum rationem explicare possumus. cum enim in Electra et Oreste insidiae, de quibus consilium habetur, duae sint, etiam duobus in biloquiis, non uno in triloquio tractantur. comparare possumus, quam clare Euripides in meris biloquiis singulas quae proferuntur res formae ope distinguat; sic Or. 729—806 unum invenitur Orestis Pyladaeque colloquium, quod tamen poeta in duas partes divisit: in priore (729 sqq.)

---

[5]) Cf. Listm. p. 74.

Orestes et Pylades, quomodo res suae se habeant, exponunt, in altera (774 sqq.) deliberant, quid sit faciendum; in priore utraque persona alternis vicibus singulos versus dicit, altera pars ex antilabis constat. praeterea pars prior, sicut actus totus, terminatur sententia (773[6]), alterius autem initium verbis Orestis: *εἶεν. ἐς κοινὸν λέγειν χρή* (774) dilucide significatur. similiter in exodo versum 1599 altera sequitur Orestis et Menelai altercatio, sed quae numerorum ratione a priore differat, cum haec e stichomythia constet, illa ut concitatior ex antilabis.

Neque vero audeo plura exempla afferre, cum timeam, ne longius ultra fines huic dissertationi circumscriptos iam sim vagatus. hoc unum addo triloquiorum rationem cum stichomythiae quam artissime cohaerere[7]). nam eaedem fabulae Euripidis, in quibus dialogus ita est comparatus, ut numerus versuum singulis personis attribuendorum quam maxime varietur, triloquia praebent vera et vivida, sed in recentioribus eius tragoediis et dialogus paene totus ex stichomythiis constat et pro triloquiis biloquia adhibentur. contra Sophocles ut stichomythia parcius usus est, ita ab Oedipode Rege usque ad Coloneum triloquia vera saepissime condidit (cf. Listm. l. l. 23 sqq.).

Hisce omnibus, quae hoc loco exposui, quaestiones ad trium personarum colloquia ab Euripide composita spectantes nondum esse persolutas equidem non ignoro. confido autem mihi contigisse, ut Listmanni opinionem falsam esse demonstrarem, et spero alios, quae ego adumbravi tantum, esse correcturos et accurate perfecturos.

3. Quoniam de duabus quae Euripidis artem dramaticam attinent quaestionibus breviter egimus, nunc scaenas quasdam Orestis cum aliis fabulis, quantum fieri potest, collatas ita tractemus, ut quae Orestis propria sint appareat. atque ordiamur a parodo. quae e duobus paribus stropharum est composita, unaquaeque autem stropha in complures partes choro et Electrae in vicem attributas divisa est. amat Euripides in parodis pro carminibus choro soli cantandis amoebaea, quae a choro et histrione uno alternantur, adhibere aut chorico monodiam histrionis praemittere[8]); quamquam cum Orestis parodo nulla alia ad amussim congruit.

---

[6]) Versu 772 quidem Orestes Pyladae contradicit: ,etsi Argivis te punire non convenit, tamen multitudo, si ducibus obtemperat pravis, ad omnem audaciam prompta est'. verum versus 773 a civitatis Argivae statu discrepat (cf. e. gr. 436); ergo adiectus est, ut hic dialogus plene ac quasi rotunde concluderetur.

[7]) De stichomythia cf. A. Groß l. l. passim (e. gr. 45), Schad. l. l. 107.

[8]) Cf. Hec., Tro., El., IT., Hel., Ion.; praeterea v. Wil., Gr. Trag. 146, 1 et Nestle l. l. p. 72 sqq. (de Oreste p. 81).

sed cum huius parodi forma atque indoles eo constituatur, quod apud Oresten dormientem Electra et chorus cantant, ceteros locos, quibus dormientes a tragicis Graecis in scaenam producuntur, comparemus. sunt autem hi: Eur. Herc. 1042 sqq., Soph. Trach. 962 sqq., Phil. 827 sqq.[9]). quibus de locis egregie egit Albr. Dieterich l. l., sed cum imprimis, quae ratio intercederet inter Herculem Euripidis et Sophoclis Trachinias, disputarit, spero me de Oreste perpauca addere posse. omnibus his locis is, qui in scaena cubat, acri impetu doloris vel insaniae fessus somno oppressus est; adstant ei chorus et histrio unus — in Trachiniis autem duo histriones — quorum alter magna voce seu lamentans seu loquens dormientem est excitaturus, alter, ut ille vocem submittat, orat et obsecrat. sed cum apud Euripidem Hercules et Orestes postquam furoribus sunt agitati, somno vincantur, apud Sophoclem Hercules et Philoctetes doloribus corporis defetigati sunt.

Age vero has scaenas accuratius contemplemur; Orestis parodum cum Hercule sola Euripidea, non cum Sophoclis fabulis quas commemoravimus comparari posse e compositione elucet. nam ut Hercule dormiente chorus et Amphitryo, sic Oreste dormiente chorus et Electra diutius alternis versibus cantant. contra in Trachiniis Hylli et Senis amoebaeum, quod, antequam Hercules suscitetur, cantant, perbreve est (971—82), cum Herculis somno excussi lamenta maximam huius *κομμοῦ* obtineant partem. in Philocteta autem chori cantico e stropha antistropho epodo composito intericiuntur Neoptolemi hexametri dactylici quattuor, ita ut amoebaeum verum hoc esse deneges. —— clarius autem e copia verborum cognoscimus Euripidem, cum Oresten conderet, illam Herculis scaenam ante oculos habuisse. quod ut demonstrem, exempla affero haec: Or. 140 *σῖγα σῖγα* ∼ Herc. 1068, Or. 181 *οὐχὶ σῖγα σῖγα* ... ∼ Herc. 1042. — Or. 141 sq. *μὴ κτυπεῖτ'*. — *ἀποπρὸ βᾶτ' ἐκεῖσε* ∼ Herc. 1047 *ἑκαστέρω πρόβατε, μὴ κτυπεῖτε* (ad *ἀποπρό* cf. Herc. 1081). — Or. 147 *ἀτρεμαῖον* ... *φέρω βοάν* ∼ Herc. 1053 *οὐκ ἀτρεμαῖα θρῆνον αἰάξετε* (de voce *ἀτρεμ.* rarissima cf. Wil. ad Herc. l. l.; sed apud Euripidem Phoen. 177 quoque invenitur[10]). quae exempla eo maiore habeo momento, quod nullum Orestis

[9]) In fabulis quoque quae non ad nos pervenerunt, velut in Eriphyla Sophoclis, personas dormientes inductas esse non ignoro (cf. Wil., Her. I² 138); at parum scimus, quam ut certi quicquam statuamus. Orestis versum 211 antiqui cum Eriphylae frg. 198 Nck.² contulerunt (cf. Clem. Alex. Strom. VI p. 741), sed Euripidem hoc loco aemuli vestigia pressisse iam Lessingius noster iure negavit Vita Soph. (OO), VIII p. 372 Lachm.³

[10]) Nisi fallor, etiam aliis locis Euripides de hac Herculis scaena est recordatus; cf. Or. 326 *ἐάσατ' ἐκ- / λαθέσθαι λύσσας* ∼ Herc. 1043 sq. *ἐάσετ' ἐκ- / λαθέσθαι κακῶν* (rhythmus idem est!) et Or. 1281 *φέρε νυν ἐν πύλαισιν ἀκοὰν βάλω* ∼ Herc. 1060 *φέρε πρὸς οὖς βάλω.*

locum cum Trachiniis aut Philocteta comparandum repperi[11]). —— idem atque ex dictione sequitur e numeris. in Hercule et Oreste praevalent dochmii, quibus, ut etiam alibi saepissime fit, adspersi sunt iambi, versus qui utrum dactylici an enhopliaci existimandi sint dubitare potes (e. gr. Herc. 1055, Or. 181 sqq.), alii. etiam in rebus minimis Orestes cum Hercule congruit; etenim in utraque fabula post vocabulum *ναί* eodem dochmii loco positum hiatus fit (Or. 148 ∾ Herc. 1060). at Trachiniarum versus 971—1003 constant ex anapaestis; in versibus autem insequentibus hexametri dactylici iambos et dochmios longe superant. in Philocteta denique de alteris quidem strophae et antistrophi partibus ut corruptis non constat, sed etsi in prioribus stropharum partibus dochmii occurrunt, tamen cetera metra ab Herculis Orestisque numeris discrepant (cf. Wil., Gr. Versk. 347 sq.). —— sed satis de numeris; inspiciamus iam, quae, dum Orestes dormit, gerantur. ac primum nusquam nisi in Hercule (1047) et Oreste (142) chorus longius a cubante discedere iubetur. deinde cum Orestes dormiens se moverit, Electra, ne is somno expergiscatur, timet, sed a choro confirmatur (166—73); simillima sunt quae in Hercule inde a versu 1069 usque ad versum 1071 leguntur, cum apud Sophoclem eiusmodi res desint. —— atqui ut ex his omnibus Euripidem in Oreste Herculem suam esse imitatum collegimus, ita eum uno quidem loco Sophoclis vestigia pressisse suspicor; nam Electrae Noctem implorantis preces (174 sqq.) ad Philoctetae chorum Somnum invocantem (827 sqq.) videntur esse referendae. nimirum Euripides hac scaena Philoctetae brevi ante doctae commotus est, ut multis annis post Herculem conditam iterum personam dormientem induceret.

Sed quoniam quae exempla Euripides in parodo Orestis secutus esset, disseruimus, nunc eam ipsam acrius inspiciamus. summa enim arte poeta omnia, quae apud Oresten dormientem fiunt, tam vivide nobis repraesentat, ut et nos lectulo aegrotantis adstare nobis videamur. ab Electra admonitae (136—9[12]) mulieres

[11]) Ne Or. 157 cum Trach. 974 sq. vel Phil. 866 conferas, verbum *κινεῖν* his locis plane diversa ostendere moneo.

[12]) Versus 136—39 delendi non sunt, cf. Vürtheim Aischylos' Schutzflehende (Amstel. 1928) p. 237 sq. et Kranz l. l. 312 (adn. ad p. 241). v. 141 autem verba *μηδ' ἔστω κτύπος*, quae et metro repugnent nec post *μὴ κτυπεῖτε* ferri possint, eiciantur oportet: sane huc e versu 137 errore sunt translata. confirmatur haec sententia eo, quod apud Dionysium Hal., qui de comp. verb. 11 hunc locum affert, ista verba desunt. itaque v. 154 alteruter dochmius est secludendus, ut antistrophus strophae respondeat. sed verba *τίνα δὲ συμφοράν* delere nequimus, cum sic hiatus (i. e. pausa) nascatur inter *εἴπω* et *ἔτι*, eodem autem strophae loco synaphia inveniatur artissima; nec magis placet priore dochmio eiecto haec verba retinere, quia vocis *ἔχει* vis offendit mutata. locus igitur non sanatus criticorum curas provocat.

suspenso gradu appropinquant, sed ab illa somno fratris sedulo consulente recedere iubentur, ne propius adstantes eum cantu excitent. hoc obsecutae clariore tamen voce utuntur, ita ut Electrae iterum, ut vocem submittant, adhortandae sint. sed cum huic admonitioni optime paruerint, permittit illa, ut propius accedant verbaque faciant[13]. attamen, quod iis, quae Electra de fratris statu dixit, vehementius sunt commotae, lamentum clarius ex oribus invitarum elabitur, quo ne Orestes suscitetur, periculum est (156 sqq.). postea autem Orestes dormiens se movet, quam ob rem Electra verita, ne ille expergiscatur, chorum eum excitasse insimulat rursusque choreutas recedere et vocem submittere iubet; sed Oresten somno premi ab iis docetur (166—73). eadem denique praecepta vv. 181—6 accipit. rectissime Kranzius l. l. 241 notavit poetam in hoc carmine lenissimorum sonorum vi esse usum, quia cantus paene ad susurrum submitteretur. ad haec vero, quae adhuc adumbravimus, alia accedunt et ea gravissima: miseriae in quas Agamemnonis liberi inciderunt deplorantur, Phoebus nefas iussisse acerbe arguitur, Clytaemestra mortua ut domus totius exstinctrix incusatur, Nox verbis sanctis qualia in deorum cultu adhiberi solent invocatur (cf. Schad. 98) —— haec omnia poeta ingeniose ita temperavit, ut quantam varietatem singulis dabat locis, tamen tenor, ut ita dicam, unus sit.

Sed praeter parodum episodium quoque primum nobis inspiciendum est. in Hercule enim poeta etiam furoris impetum, qui somnum antecedit, non minore arte depingit, quam ut ille e somno suscitatus ad mentis redeat sanitatem. haec tria — furoris vel morbi impetus, somnus, experrectio — ut par est, in ceteris quoque in quibus persona in scaena cubat fabulis inveniuntur, sed ordo eorum partim est mutatus neque omnia semper aequabiliter explicantur. nam quod furoris vel morbi incursum attinet, in Trachiniis Hercules somno excussus denuo doloribus corripitur, ita ut duae sint temptationes: de priore refert Hyllus, alteram ipsi in scaena conspicimus. Orestes autem postquam somno excitatus sana mente cum sorore est collocutus, subito furore capitur; sed cum poeta superiores insaniae impetus in prologo breviter adstrinxerit (36 sq., 44 sq.), nunc Orestes ante oculos spectatorum furore agitatur. scaenae illae praeclarissimae, qua Herculis suscitati cogitationes continentur (1089 sqq.), in ceteris de quibus agimus fabulis versus

---

[13]) Aristophanes Byz. in argumento (p. 93, 12—19 Schw.) quaerit, qua de causa Electra ad pedes Orestis consederit, quamquam, si a capite eius sederet, melius eum posset curare. nec tamen ullo loco Euripides dicit, ubi illa sedeat. itaque cum nihil habeamus, quod Aristophanem suae aetatis histriones respicere existimemus — aliter enim scholia 57, 268, 643 se habent — haud scio an *παρεπιγραφήν* aliquam philologi antiqui invenerint.

respondent pauci: in Sophoclis tragoediis quae huc spectant Hercules et Philocteta eorum quae ante somnum facta sunt memoriam habent. itaque ille, cum dormiens Trachina portatus sit, nihil aliud quaerit nisi quo pervenerit (983 sqq.) — quam ad percontationem nullum datur responsum —, hic ubi primum paucis verbis lucem salutavit, Neoptolemo et choro gratias agit (867 sqq.). contra duo Orestis loci ad Herculem referri possunt: experrectus enim Orestes, postquam Somnum et Lethen praedicavit, interrogat:

πόθεν ποτ' ἦλθον δεῦρο; πῶς δ' ἀφικόμην;
ἀμνημονῶ γὰρ τῶν πρὶν ἀπολειφθεὶς φρενῶν (215 sq.),

et v. 277 sqq., cum rursus mentis compos sit, dicit haec:

τί χρῆμ' ἀλύω, πνεῦμ' ἀνεὶς ἐκ πνευμόνων;
ποῖ ποῖ ποθ' ἡλάμεσθα δεμνίων ἄπο;
ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ.

ad quos locos conferas velim Herc. 1089—93, 1105, 1108 (imprimis autem ad Or. 277 Herc. 1092 sq.). at Oresten, quod saepius iam haec perpessus est, ab Electra, quae sint facta, certiorem fieri opus non est; nihil igitur interrogationibus eius respondetur[14]).

Similiter atque in parodo chorus v. 1246 sqq. adhibetur, ut actio fiat concitata ac vivida. cum enim Orestes ac Pylades precibus finitis domum intrarint Helenam interfectum, Electra, quae foris custodire, ne quis eos illam petentes opprimeret, Hermionaeque adventum exspectare iussa est (1216—21), in scaena remanet. qua imperante, ut chorus duas quae ad regiam ferant vias observitet, choreutae in duo hemichoria discedunt, quorum alterum ante alteram parodum stationem agit[15]), cum Electra ipsa media inter haec ante fores regiae moretur Oresten Pyladenque, si quis accessurus sit, certiores factura. quanta sunt animi concitatione, hominem agrestem appropinquare opinantur, nullo revera appropinquante (1269—74[16]). sed cum vias vacuas esse hominibus cognoverint, recenti timore afficiuntur, quod Orestes et amicus eius diutius videntur cessare. itaque Electra aure foribus admota auscultat, quae intra domum fiant (1281), et cum nullum audiverit clamorem, nullum tumultum, ex quo viros aliquid agere eluceat,

---

[14]) A. Dieterich l. l. 34, 1 Orestis versus 211 sq. ad Soph. Phil. v. 867 rettulit, me quidem iudice falso. nam sensus est prorsus diversus: alter grato animo laudibus fert somnum, alter lucem solis se videre laetatur. —— de invocationibus Somni et Lethes cf. Schad. l. l. 124 et 125, 1.

[15]) Nescio, qua de causa Iosephus Lammers in dissertatione Monast. ‚Die Doppel- und Halbchöre in der antiken Tragödie' (Paderb. 1931) hoc canticum silentio praeterierit.

[16]) Cf., quanta veri similitudine poeta Phoen. 261 sqq. Polynicis pavorem expresserit, qui v. 269 similiter sonitu aliquo deceptus hostem adesse putat.

vocibus eos impellit, ut properent (1284 sq.[17]). illis, ut putat, adhuc moram facientibus lamentatur (1286 sq.), tum choreutas, ut eo diligentius circumspiciant, admonet (1289 sqq.).

Haec omnia poeta amoebaei ope depinxit, quod ab Electra et choro toto duobusve hemichoriis cantatur et ex uno stropharum pari brevique epodo constat. numeri sunt simplicissimi, quales in huiusmodi canticis adhiberi solent: praevalent dochmii et iambi, ad quos accedunt versus enhopliaci (1246, 1256), dactylici (1257), iambelegus (1264). assimulant huic loco viri docti[18]) illam Hippolyti scaenam, in qua Phaedra foribus adstans sermonem qui est inter Nutricem et Hippolytum captat (565 sqq.). sed etsi locutiones quaedam ex Hippolyto fabula videntur fluxisse — Pohlenzius confert Or. 1249 cum Hipp. 571, Or. 1254 cum Hipp. 580 — necnon simili modo in utraque tragoedia mulier ad portam auscultat, tamen quomodo Euripides hic actionem, ut aiunt, concitatiorem[19]) conformaverit quam in Hippolyto, non satis perspicio. nam auscultatio, quae in fabula vetustiore fuse describitur, in Oreste minoris est momenti[20]); quae autem in Oreste prius fiunt, quam Electra auscultet, ea actionem exhibere concitatissimam apertum est, at haec cum Hippolyto comparari posse vel ob eam causam denego, quod chori vigiliae in illa fabula omnino locus non erat. —— contra Orestis versus 1246—1352 cum Sophoclis Electrae versibus 1398 sqq. conferendos esse recte statuit Wilamowitzius in Hermae vol. 18 (1883) p. 241. nam in utraque fabula, dum Orestes et Pylades mulierem — hic Helenam, illic Clytaemestram — opprimunt, Electra cum choro ante domum vigilat, in utraque fabula altera persona — hic Hermiona, illic Aegisthus — postquam ad regiam venit, comprehenditur. itaque Euripidem, ut has Orestis scaenas conderet, hoc loco Sophocleo adductum esse concedo. sed singulae quae his locis inveniuntur res valde discrepant, praesertim cum ea ipsa, quibus apud Euripidem actio tam vivida redditur, in Sophoclis Electra desint: non disponitur chorus ad parodos, non describitur nimius vigilantium timor, non auscultat quisquam ad portam progressus; huc accedit, quod apud Sophoclem Orestes Pyladesque inter duas illas caedes domo exeunt (1422 sqq.), cui scaenae in Oreste fabula nihil respondet. itaque accuratius inquirenti facile apparebit Euripidem summa libertate exemplar Sophocleum ad suam ipsius indolem commutasse.

[17]) De versuum inter personas distributione v. Epimetrum (§ 3).

[18]) Schad. l. l. 173 sq., Pohl. l. l. II p. 128.

[19]) Pohlenzius l. l.: ‚*er schuf . . . hier eine viel bewegtere Handlung*‘.

[20]) In Hippolyto Phaedra chorum tacere bis iubet, ut, quae intra domum dicantur, audire possit (565, 567); quibus auditis cum clamorem ediderit (570), chorus vehementer interrogat (571 sqq.), sed illa ei imperat, ut ipse ad portam progressus auscultet (575 sq.). haec omnia in Oreste desunt.

Sed hactenus de hac scaena; transeamus iam ad monodiam Phrygis. cum spectatores de iis, quae post versum 1245 intra domum gesta sunt, Euripidi certiores sint faciendi, ex consuetudine tragicorum Atticorum nuntii hic locus est; quo munere fungentem poeta apte facit servum Phrygium Helenae, qui ex aedibus effugit[21]. at hic Phryx non, ut ceteri nuntii, orationem habet trimetris iambicis compositam, sed monodiam cantat variis numeris abundantem[22]. hunc unicum in modum ut nuntii narrationem conformaret, Euripidem ea re, quod supra iam longam nuntii orationem adhibuerat (866 sqq.), adductum esse putarem, nisi in aliis fabulis, velut in Iphigenia T. (238 sqq. et 1284 sqq.), Phoenissis (1067 sqq. et 1335 sqq.), Bacchis (660 sqq. et 1024 sqq.), duo nuntios simillimos inducere ausus esset[23]. recte vero Schadewaldtius l. l. 17 sq. Phrygis cantico alios locos assimulavit, quibus Euripides veteres formas in lyricam speciem commutavit (Ion. 82—183 prologum mimeticum quem dicunt, ib. 859 sqq. soliloquium).

Ac primum inspiciamus, qua arte haec monodia condita sit[24]. Phryx unus est ex servis Troianis, quos Helena secum in Graeciam duxit. ut vero Homeri Troas tragici Graeci Phrygas appellare solent, ita Euripides in hac fabula heroicorum temporum Troianos cum suae aetatis Phrygibus confundit effeminatis (cf. 1111, 1351, 1447, 1483 sqq.), e quibus permulti tum apud Graecos serviebant (cf. Alc. 675); auget etiam nuntii mollitiem eo, quod eum hominem castratum inducit (1528). barbariem autem eius summa ope describit; Euripidis senis quantopere interfuerit barbaros in scaenam producere, vel inde intellegimus, quod et in Phoenissis et in Bacchis, fabularum argumentis non coactus, choro personam barbaram attribuit. significat autem in Oreste Phrygis barbariem non solum verbis *βάρβαρος*, *Ἀσιάς*, *Φρύγιος* saepius adhibitis (cf. 1370, 1374, 1385, 1396, [1430 dub.,] 1397, 1426), sed etiam eo, quod eum Troiae excidium flebiliter deplorantem (1381 sqq.), barbarorum cantus commemorantem (1395 sqq.[25]), Matrem Idaeum invocantem (1453) facit; quibus rebus barbaris res hominesque Graeci consulto ex-

[21]) Versus 1366—8 non delendos esse probabat P. E. Lindemann in dissertatione quae ‚De personarum tragicarum introductione' inscribitur p. 36 (diss. Marpurg. 1922, iniquitate temporum non in lucem edita). exit igitur Phryx e foribus, non coram spectatoribus de tecto desilit.

[22]) Singulis quoque rebus exemplum earum scaenarum, in quibus nuntii prodeunt, exprimitur, cf. Fischl l. l. 68, Schad. l. l. 18, 1.

[23]) In Phoenissis nuntius alter septuaginta fere versibus post alterius abitum (1263) in scaenam prodit (1335)!

[24]) Cf. Friedl. l. l. II 104 sq. scripta erant mea, priusquam liber optimus, quem Kranzius de stasimo composuit, in lucem ederetur; quocum viro tragicorum Graecorum peritissimo me consentire gaudeo (cf. l. l. 110—12).

[25]) Cf. etiam *ἁρμάτειον μέλος* v. 1384, de quo v. Wil. Einltg. 125, 5 et Timoth. (Lips. 1903) 101, 3.

pressis verbis opponuntur (cf. 1369, 1372, 1401; imprimis autem cf. *Μυκηνὶς ἀρβύλη* v. 1470 cum *βαρβάροις ἐν εὐμάρισιν* v. 1370: *εὔμ.* verbum est externum, quo Aeschylus quoque Pers. 660 barbaros utentes inducit[26]). nec tamen Phrygis barbaries ita depingitur, ut — sicut decem fere annis post Timotheus in Persis (162—73) fingere ausus est — Graecas voces barbaro ore corrumpat; quod etiamsi voluisset Euripides, in hac scaena nequaquam facere potuit, quia res graves, de quibus spectatores ei docendi erant, isto artificio si usus esset, ab iis non essent satis perceptae. nihilo minus Phrygis monodia quasdam habet elocutionis proprietates[27]). ac primum quidem mirum quam multis locis idem vocabulum nullo alio interiecto repetitur[28]). quae repetitiones etsi in aliis quoque carminibus inveniuntur, tamen in hoc cantico multo sunt crebriores[29]); quin etiam cum alibi ea potissimum verba bis ponantur, quibus maior sit auctoritas, velut imperativi (cf. 149, 176), invocationes (174, 1299), dirae (999, 1364), in hac monodia omnis generis vocabula sine ullo ponderis discrimine repetuntur, ut Phrygis animus concitatus significetur[30]). deinde eius narrationem ea re latam ac tumidam reddit poeta, quod saepius membra minuta aequabiliter figurata coacervat; cuius rei exemplum sint versus 1404—6: *σιγᾶι δόλιος, πιστὸς δὲ φίλοις, θρασὺς εἰς ἀλκάν, ξυνετὸς πολέμου φόνιός τε δράκων* (singuli anapaesti singula continent membra); praeterea cf. 1412 sq., 1448 sqq., 1475 sqq., 1486 sq., 1489, 1497 sq., etiam 1420 sq.[31]).

Quod ad numeros attinet, multi viderunt in Phrygis monodia diversa metra adeo permisceri, ut hoc canticum specimen sit optimum novi modi, quem Euripides aetate provecta dithyrambos illorum temporum imitatus adoptavit. quamquam varietatem numerorum non tantam existimo, quanta nonnullis videtur. sunt enim metra alibi usitatissima, quae hic non occurrant, velut dimetri choriambici vel glyconei, ionici, alii; creberrimi vero sunt iambi, trochaei, anapaesti, dochmii, ad quos accedunt cretici (1419—24)

---

[26]) Similiter Phoen. 278 sq., 301, 1301 chori natura barbara ostenditur; ib. 293 sq. aeque atque Or. 1507 sq. *προσκύνησις* fit, ‚more barbaro', ut poeta utroque loco aperte dicit.

[27]) Nota etiam sonos barbaros, e. gr. 1373.

[28]) Non anaphoras dico quales *τινύμεναι δίκαν, τινύμεναι φόνον* (323), non eas repetitiones, quibus metrum insequens ab eodem verbo incipit atque antecedens (cf. 142, 1353, 1537, 1541 in dochmiis, 1426 in anapaestis). cf. Kranz l. l. 231.

[29]) Cf. 1373 (bis), 1381, 1384, 1387 sq., 1390, 1395, 1414, 1416, 1427, 1428, 1444, 1453, 1454, 1456, 1461, 1469, 1479, 1481, 1500.

[30]) Paucissima exempla praebet Timotheus et ea alterius generis.

[31]) Euripidem his membris coacervatis barbariem Phrygis exprimere voluisse pro certo habeo; similiter Polymestor barbarus Hec. 1056 sq. *πᾶι βῶ, πᾶι στῶ, πᾶι κέλσω*, 1059 sq. *ποίαν ἢ ταύταν ἢ τάνδε*, 1080 *πᾶι στῶ, πᾶι κάμψω, πᾶι βῶ*, 1099 *ποῖ τράπωμαι, ποῖ πορευθῶ*. nihil his cum Gorgianis figuris (Fischl. l. l. 67).

et bacchei (1437—40), quos trochaeis vel iambis quam maxime cognatos esse putaveris. qui praeter hosce in hoc cantico inveniuntur numeri, nullius sunt momenti[32]). porro in singulis monodiae partibus, quae chori trimetris inculcatis distinguuntur, singula metra praevalent; in tertia enim (1395—1424) et quarta (1426—51) et sexta (1474—1502), quae imprimis narrationem continent, dominantur iambi, in secunda autem (1381—92), in qua Phryx Troiae excidium vehementer lamentatur, versus vere *τραγικώτατοι*, dochmiii, cum prima pars (1369—79), qua illius celerrime in scaenam fugientis affectus depingitur, tota fere e trochaeis (i. e. numeris ‚cursoriis') constet[33]); quibus e numeris concitatis quinta quoque pars (1453—72, cf. Wil., Gr. Versk. 270 sq.) composita est, qua repentinus impetus ab Oreste in Helenam factus describitur. elucet igitur poetam pauca metra ceteris eo anteferre, ut non solum in singulis partibus, verum etiam toto carmine tenor numerorum idem sit, sed his metris crebrioribus alibi alia quasi lumina esse addita (cf. imprimis 1419 sqq. et 1437 sqq.[34]).

Sed satis de elocutione numerisque; iam de iis, quae Phryx narrat, breviter agamus. grave est ex his quoque cognosci posse, quanto studio Euripides tragoediae quaedam barbara admiscuerit. nam sicut regina barbara Helena a servis Phrygibus circumdata in atrio sedet; ignavia Phrygum, a qua quam maxime distet iuvenum Graecorum audacia, fuse describitur: quae postquam Kranzius l. l. p. 111 optime enarravit, ego pluribus verbis tractare supersedeo. —— at latent in Phrygis narratione quaedam difficultates. primum enim dubium est, ubi hic Phryx, dum Helena opprimitur, moratus sit. qui ut cum ceteris servis aliquo fuerit conclusus, ex eo sequi videtur, quod Orestes et Pylades, priusquam opus aggrediantur, circumspiciunt, ne quis testis adsit (1459); quin etiam is ipse se in eorum, qui inclusi erant, numero fuisse dicit 1474 sq. (*ἐμίμνομεν, βοηδρομοῦμεν*). attamen accurate narrare potest, quae Phrygibus absentibus Helenae acciderint (1453—72, cf. 1456 *ἔδρακον*). itaque poetam persona nuntii male servata Phrygem de iis quoque, quae iste nequaquam viderit, referentem facere arbitror[35]).

---

[32]) Non cum iis facio, quos iuvat et unius metri formas singulas nominibus appellare diversis et e compluribus quae adhiberi possunt metris id semper eligere, quod ab antecedentibus non minus quam ab insequentibus discrepat.

[33]) Versus 1369 est praxilleion; sequuntur trochaei partim decurtati vel concisi. nescio qua de causa Wilamowitzius (Gr. Versk. 268, 2) Terentianum secutus Maurum hunc locum aliter constituerit.

[34]) Quam similis haec numerorum ratio ei sit, quae in Timothei Persis invenitur, apparet (cf. Wil., Timoth. 35 sq.). ceterum sicut Or. 1419—24 ita Tim. Pers. 127—31 cretici continuantur.

[35]) Hoc etiam alibi invenitur: cf. e. gr. quae Wilamowitzius, Die Heimkehr des Odysseus 163 de Eumaei narratione exposuit.

deinde quaerimus, qua de causa Orestes Helenam a sella, in qua sedet, ad focum ducat (1437—45); hoc idcirco fieri, ut ea a servis circumstantibus secludatur, non improbabiliter conicit scholiastes (ad 1439), quamquam poeta ipse de hac re nihil dicit. quare postremo impetus, quem Orestes in Helenam facit, Hermionae adventu interrumpitur[36]? quid? quam ob rem Euripides eam non matre iam ex oculis sublata aedes facit intrantem? quid? cur Helena, dum Orestes ac Pylades Hermionam arripiunt (1492 sqq.), nullum conatum capit fugiendi? qui denique fit, ut Hermiona ante fores cum Electra colloquens pugnantium tumultum non audiat? fateor me quidem haec omnia explicare non posse. unus vero ex viris doctis Ludovicus Radermacher, tragicorum Graecorum cultor studiosissimus, eiusmodi obscuritates observavit; sed quam protulit opinionem (l. l.) ne mentione quidem dignam haberem, nisi apud nonnullos plausum tulisset. putat enim Euripidem scaenam Phrygis ad exemplum earum fabularum, quae de Busiride, rege Aegyptiorum, tradebantur, composuisse; at quas cognovisse sibi videtur similitudines prorsus nullae sunt. nam — ut exemplum afferam unum — sicut Hercules, postquam nil resistens ad aram se adduci passus est, subito viribus suis utatur, ita Oresten et Pyladen consilium primo diligenter celatum occasione data patefacere existimat. verum creberrime eos, qui aliquem oppressuri sunt, initio dissimulare, quae in animo habeant, inter omnes constat; ceterum, si, ut philologus, testimonium desideres, conferas velim Helenae Euripideae versus 1537 sqq.[37]. sed quamvis facile sit cuncta huius viri doctissimi argumenta discerpere, tamen, ne longus sim, hoc loco satis habeo dicere Radermacheri opinionem, ut sit vera, ad quaestiones quas supra attigi explicandas nihil valere, quia etiamsi Euripides eiusmodi exempla imitatus est, nihilo magis perspicimus, quare Helenae oppressionem ita composuerit. atqui Radermacher Helenam ob eam rem ad focum adduci censet, quod Busiris ab Hercule ad *ἑστίαν* interficiatur. sed ut alia, quae contra dici possunt, omittam, Euripidem tam malum fuisse poetam, ut exemplum sibi ad imitandum propositum tam anxie exprimeret, quis credat?

At ne huic viro de tragicis optime merito pertinaciter obloquens nimius esse videar, iam Phrygis canticum missum faciamus; progrediamur ad ultimum huius dissertationis capitulum.

[36]) Non a Phrygibus erumpentibus Orestes Helenam occidere prohibetur; illos enim Pylades solus fundit sternitque (1478 sq.).

[37]) Cf. Or. 1410 ~ Hel. 1547, Or. 1418—24 ~ Hel. 1549 sqq. subito et Orestes et Menelaus simulationem deponunt; barbari resistere student Or. 1474 sqq. et Hel. 1596—1606; Pylades non minus quam Menelaus in hostes saevit Or. 1478-89 et Hel. 1606 sqq.; nonne haec omnia similiora sunt quam quae Radermacher protulit?

Caput VII:

De mythis ad hanc fabulam condendam adhibitis.

1. Postquam de Orestis fabulae compositione, arte indoleque egi, de mythis ad eam condendam adhibitis pauca dicam. de Euripidis enim consilio si recte iudicare volumus, etiam hoc nobis disceptandum esse puto, quae, cum hanc tragoediam conformaret, ab aliis sumpserit et quae ipse finxerit hic poeta in fabulis, quae ei a maioribus erant traditae, commutandis novandisque audacissimus. ubi autem e compluribus qui iam ante eum ferebantur mythis optio ei data erat, eruere debemus, qua de causa alium aliis praetulerit.

Ac primum quidem res quae in Oreste aguntur, si non omnes, graviores certe, ab Euripide ipso excogitatas esse constat. nam et Aristophanem Byzantium apud ceteros auctores nihil Orestis argumento simile repperisse ex hypothesi ab eo huic fabulae praemissa apparet (v. 4 Schw.: *παρ' οὐδενὶ κεῖται ἡ μυθοποιία*[1]) et Carolus Robert, quanta erat artis monumentorum non minus quam mythographorum scientia, principi illi philologorum antiquorum assentiri coactus est (Heldens. 1327). ceterum res summae quae in hac tragoedia aguntur ab eo originem trahunt, quod nex Clytaemestrae a filio illata nefas habetur. itaque cum usque ad Aeschylum matricidium Oresti semper laudi daretur, fieri omnino non poterat, ut Euripides poetae epici aut lyrici vestigia premeret. quocum convenit argumenta ceterarum quoque tragoediarum, in quibus homines per dolos et insidias inimicos ulciscuntur vel salutem sibi petunt, ab eo ipso esse inventa (cf. Solms. p. 3).

Nec dubium est, unde Euripides, cum hoc argumentum comminisceretur, profectus sit. Homerus enim Menelaum eodem die, quo Orestes mortem patris ultus esset, in patriam revertisse narrat (*γ* 311), quem Odysseae locum non modo Aeschylus Cho. v. 1041, sed etiam Euripides ipse El. v. 1278 sqq. respexerat. fortasse in Nostis haec uberius referebantur; verum nec certi quicquam de hoc carmine scimus — namque e Procli verbis nihil est colligendum — nec, si quid sciremus, Euripidi quicquam lucraremur, quoniam Orestis Euripideae argumentum quinto saeculo antiquius esse nequire supra iam monuimus. —— quod autem in hac tragoedia Menelaus sexto demum ex quo Clytaemestra et Aegisthus interfecti sunt die (39, 422) Argos advenit, optime hoc fecisse Euripides mihi videtur. nam eo, quod dies aliquot inter caedem et fabulae initium interiecit, commoda assecutus est haec: primum Oresten non brevi

---

[1]) Codicum *οὐδενί* tuetur Wil., Einltg. 147, 38a.

quadam mentis perturbatione, in quam facinore aliquo commisso homines subito incidere solent, affectum, sed sexto iam die morbo corporis animique gravissimo laborantem induxit, qua re calamitatem eius efficaciter augeri in propatulo est. huc accedit, quod adventu Menelai dilato Orestes matrem ipse sepelire debet, quod facientem eum furore capi (401—4) credibiliter finxit poeta. deinde Tyndareus, cum morte filiae Spartam nuntiata Argos se contulerit, ut inferias ei daret, cum Oreste in magnum certamen verborum venit, quo poeta, quae et pro Orestis facinore et contra dici possint, exponendi occasionem adipiscitur. tum fabula ea incipit die, in quam Argivorum contio, ut de Oreste et Electra iudicium faceret, vocata est (48 sqq. et al.). haec omnia quin fieri non possent, si fabula caede vix perpetrata ageretur, nemo dubitabit[2]). Menelaum autem post fabulae demum initium ad Agamemnonis regiam revertentem ideo fecit poeta, ut spectatores primo illum fratris liberos esse adiuturum una cum Oreste atque Electra sperarent, tum autem, cum eos a patruo turpiter desertos vidissent, non minore in illum odio quam in eos misericordia afficerentur.

2. Sed ut Euripides summam argumenti ipse excogitavit, ita loci sunt, quibus alios auctores secutus sit. quorum locorum agmen ducant versus 268—70, quibus Orestes furore captus ab Apolline se arcum accepisse dicit, quo a Furiis se defenderet. hos ad versus adnotat scholiastes haec: *Στησιχόρωι ἑπόμενος τόξα φησὶν αὐτὸν εἰληφέναι παρὰ Ἀπόλλωνος*[3]). haec etsi ad illius poetae Orestiam pertinere apertum est, tamen qua ratione Stesichorus in carmine suo adhibuerit, nobis est disceptandum. Stesichorum autem Orestiam Delphicam quam vocant esse imitatum Wilamowitzius mihi quidem persuasit; quo in poemate Phoebus, ut matricidii auctor, Oresten sanguine porci conspergens expiavisse perhibebatur (cf. Aesch. Eum. 282 sq.). quod autem haec Orestia, ut Apollinis potestas expiandi celebraretur, scripta est, Furias piaculo facto Oresten agitare desistere oportebat; aliter enim deum Delphicum contra Furias nihil valere ii ipsi probavissent, qui eum praedicare studebant. itaque errare mihi videtur Thadd. Zielinski, qui Apollinem Oresten iam expiatum arcu armavisse putat (Jahrb. 100, cf. Trag. 88). nimirum Phoebus ei aut Delphis arcum commodavit, cum iuvenem matrem occidere iuberet, ut opinatur Seeliger l. l. p. 21, aut cum Clytaemestra atque Aegistho interfectis Furiae statim eum aggrederentur, apparuit telumque dedit, ut ille a patria incolumis Delphos proficisceretur. —— at dubitaveris, utrum Euripides

[2]) Euripidem vel minimas res diligentissime ad veri similitudinem administrasse veteres iam viderunt, cf. Dio. Prus. or. 52, 11.

[3]) Ad Aristophanem Byz. hoc rettulit Wil., Einltg. 152.

e Stesichori Orestia an e poemate illo Delphico haec sumpserit. quae dubitatio verbis scholiastae, quae attulimus, non tollitur, quoniam Orestiam Delphicam, si modo olim exstiterat, ante Alexandrinorum aetatem perisse nobis concludendum est. sed cum et Athenienses Stesichori carmina sedulo volverint[4]) et Euripides ipse quattuor annis ante in Helena fabula componenda eum sit secutus, hoc quoque loco eum Stesichori Orestiam ante oculos habuisse verisimillimum est. quae autem apud Stesichorum revera fiunt, ea in hac fabula in opinione tantummodo Orestis esse supra vidimus.

Quoniam de hac re satis dictum videtur, nunc de scholio versui 249 adscripto videamus. ubi Tyndarei filias a Venere adulteras esse redditas Stesichorum et Hesiodum narravisse docemur; quorum hic (frg. 93) deam, quod pulchritudini Tyndaridarum invidisset, ille (frg. 26 Bgk.[4] = 17 Di.), quod a Tyndareo dis sacra faciente praeterita esset, eas tam graviter multasse perhibebant. quam rem idcirco summi esse momenti puto, quod Tyndareus, cum in ceteris quae de Oreste ferebantur historiis nihil egisse videatur[5]), in Euripidis fabula gravissimus Orestis adversarius est necnon, quod ad filias pertineat, saepius infelicissimus vocatur (cf. 249 sq., 540 sq., 750, etiam 585). utrum autem poetam Euripides est secutus, Stesichorum an Hesiodum? a Stesichoro eum haec sumpsisse ob eam rem existimo, quod et poeta Himeraeus tum in Atheniensium gratia erat et Euripides verbis *λιποπάτορα λιπόγαμον* (1305) ad istud Stesichori *διγάμους τε καὶ τριγάμους καί λιπεσάνορας* mihi videtur allusisse[6]). huc accedit, quod numeri suadent hoc fragmentum Stesichori Orestiae attribuere (cf. Wil. Cho. 248, 1), quam Euripidem in Oreste condenda ante oculos habuisse e versibus 268 sqq. collegimus[7]).

Restat, ut de loco difficillimo, quo Orestes Oeacem, Palamedis fratrem, in adversariorum numero esse dicit (432 sqq.), disseram;

---

[4]) Cf. scholl. ad Arist. Pac. 775, 797, 800.

[5]) An quae Hellanicus de iis, qui Oresten accusatum Sparta Athenas venerint, tradit, Tyndareum attinent (schol. 1648 = F. Gr. Hist. 4, F. 169a)?

[6]) Verbum *λιποπάτορα* ad Helenam a Paride abductam spectare vix potest; maritum enim et liberos mulier nupta derelinquit, non patrem, qua de causa Nicolaus Wecklein (S. B. Bayer. Ak., phil.-hist. Kl., 1921, Abh. V, 94 sq.) scribendum proposuit *λιπόπαιδα*. at haud inepte Weilius a. l. coniecit istud *λιποπάτορα* ad Helenam iam adulescentulam a Theseo raptam referendum esse; quam fabulam fortasse etiam Stesichorus tractavit, v. Paus. II 22, 6 sq. = Stes. frg. 27 Bgk.[4] (cf. Vürth. 48 sq. et 61).

[7]) Sed cave putes Euripidem versu quoque 1287 locum Stesichoreum expressisse (v. schol. a. l.); nam Troia capta sive Menelaum sive Achaeos, Helenae formam cum conspexissent, odium statim deposuisse tot poetae ac pictores effinxerunt, ut Euripidem ab ullo auctore certo hoc sumpsisse denegem. Seeligero, qui non solum versum 1287, sed etiam versus 56—59 ad Stesichori frg. 25 referendos esse censet, assentiri nequeo (l. l. p. 38).

quos versus a Carolo Robert iniuria eiectos esse infra demonstrabo. Oeacem et Nausimedontem, Nauplii filios, ab Aegistho et Clytaemestra stantes, qui post Euripidem exstiterunt auctores, saepius inducebant[8]. sed eo, quod in Oreste haec quasi spectatoribus cognitissima leviter tanguntur, fit, ut iam ante Euripidem eiusmodi fabulas pervulgatas esse concludamus; Euripides enim quae ipse excogitabat, fusius exponere solebat. Stesichorus autem *ἐν δευτέρωι Ὀρεστείας* Palamedem commemoravit (frg. 34 Bgk.[4]); Oeax igitur haud scio an iam in Stesichori Orestia, ut fratrem ulcisceretur, Agamemnonidas sit persecutus[9]. at lubrica atque incerta haec coniectura, praesertim cum duae fuisse videantur Stesichori Orestiae; carmen enim choricum quomodo volumina duo amplectatur, difficile est intellectu (cf. Wil., Cho. 249).

3. Itaque Euripides res summae, quae intra huius fabulae fines aguntur, ipse excogitavit, e Stesichori vero Orestia nihil sumpsit nisi parvas quasdam res, de quibus disseruimus; quamquam ne de iis quidem cunctis satis constat. contra et in iis, quae Orestis argumentum praecedunt, commemorandis et in dei ex machina qui vocatur vaticiniis non nova, sed omnibus nota proferre debebat. in hisce enim, quae non ante spectatorum oculos fierent, sed verbis attingerentur paucissimis, si innovavisset, temere eos obstupefecisset mentesque eorum a rebus summis avertisset. praeterea quod mythum se tractare simulabat, etiamsi argumentum novum componere ausus est, tamen et ordiri saltem a fabulis sollemnibus et ad eas reverti eum oportuit. imprimis autem Orestis matricidium ac qualiscumque expiatio poetae quasi termini erant sancti et quos loco suo moveri nefas esset. sed Euripides, cum de multis rebus variae fabulae iam ante eum vulgatae essent, plerumque eligere poterat, quae sibi idonea viderentur. hoc igitur nobis disceptandum est, quibus causis inductus aliam mythi formam adoptarit, repudiarit alias.

Ac primum eos locos, quibus Tantalidarum res attinguntur, silentio praeteribimus, cum nec de Euripidis fontibus nec de consiliis eius propositisque quicquam memoratu digni cognoscere possimus[10]. hoc unum moneo etiam ea, quae nobis hodie primo obtutu a mythis vulgatis videntur discrepare, revera nequaquam rara vel remota

---

[8]) Cf. Rob., B. u. L. 182—85 et Heldens. 1316 sq.

[9]) Cf. Rob., B. u. L. 184 et Seeliger l. l. 27.

[10]) Ad Pelopidarum mala a Myrtilo in mare praecipitato orta (988—96, 1548) cf. Soph. El. 504 sqq. (praecipue cf. Or. 995 sq. cum Soph. El. 513—15); quae 997 sqq. (v. etiam 812 sqq.) de agno vellere aureo ornato ceterisque miraculis leguntur, cum Electrae Euripideae stasimo altero (699 sqq.) congruunt: ex Alcmaeonide haec videntur fluxisse (schol. 995).

esse[11]). sed quod Pelopidarum stemma attinet, duo sunt, e quibus apparere videatur, qua ratione Euripides mythis usus sit. primum enim in filiarum Agamemnonis numero v. 23 Chrysothemis ducitur, cuius quod in insequente fabulae cursu poeta rationem non habet, qua de causa in prologo commemorarit, interrogaveris. sed et tres numero fuisse filias Agamemnonis Homerus tradebat et Chrysothemin ipsam spectatores non solum ex Iliade (*I* 287), verum etiam ex Electra Sophoclea aliquot annis ante acta noverant. itaque Euripides, quippe qui a vulgari mythi forma exordiri deberet, illam in prologo non neglegendam existimavit[12]). deinde de Strophio Agamemnoni cognato videamus[13]). nam a Pindaro (P. XI 34 sq.) et Aeschylo (Ag. 880, Cho. 562 et 914) Pylades et Strophius Atridarum *ξένοι* vel *δορύξενοι*, non *συγγενεῖς* appellantur; quocum conveniunt, quae in Sophoclis et Euripidis fabulis Electrae nomine quae inscribuntur invenimus (cf. Soph. El. 15, Eur. El. 83). quam traditionem vetustiorem Euripides etiam Or. 804 sqq. adhibuit. at v. 1233 Strophium Agamemnoni cognatum esse e Pyladae verbis sequitur (cf. 1242 eiusdem invocationem *ὦ Ζεῦ πρόγονε*). et in Iphigenia Taur. (918 sqq.) Pyladen filia quadam Atrei natum esse legimus; quam ad propinquitatem Orestis versus 1233 propterea pertinere nequit, quod *συγγένεια* consanguinitatis modo, non affinitatis vim videtur habere, Strophius autem secundum hanc genealogiam Agamemnoni non cognatus sed affinis esset. itaque Euripidem hic eam traditionem, qua Crisus, Strophi pater, Atrei filiam in matrimonium duxisse ferebatur, respicere recte intellexit Klotzius (a. l.). sed cum poeta hanc cognationem brevius adstringat, quam ut spectatores, si eam ignorassent, hunc versum percepturi fuerint, Euripidem eam non ipsum esse commentum, sed alterius auctoris — tragici coniciam — vestigia pressisse elucet. ergo Euripides, quod ad hanc consanguinitatem pertinet, duabus fabulis inter se repugnantibus altera altero loco usus est; quod cur fecisset, alibi explicare conati sumus (p. 50).

Similiter matris paricidium ab Oreste patratum se habet. hoc Athenienses, ut de epicorum et lyricorum et scriptorum pedestrium

[11]) Ad poenam Tantali (5 sqq., 982 sqq.) cf. Archil. 55, Alcae. 32, Alcm. 72 Di., Pind. O. I 57 sqq., I. VIII 10 (plurima Porsonus ad Or. 5 congessit); sed in aere eum pendentem Euripides videtur solus fecisse, Anaxagorae doctrinam fortasse secutus (cf. schol. 982 et Eur. Phaeth. 771, 3 et 783 Nck.[2]). Pelopem equis alatis aequora supervehi et prope Euboeae promunturium Myrtilum in fluctus deicere ne mireris, memineris velim non solum Sophoclem (El. 508), sed etiam Pherecydem (schol. Soph. El. 504 = F. Gr. Hist. 3, F. 37b) ad hanc fabulam spectare: Oenomaus enim primo non Elidis, verum Lesbi rex fuit (cf. schol. Monac. 990; Rob., B. u. L. 187; Wil., Herm. 18, p. 217, 2).

[12]) Similiter Sophocles El. 157 istud Homeri *καὶ Ἰφιάνασσα* expressit, quam quam in hac fabula Iphianassae locus non erat; cf. Wil., Herm. 18, p. 217, 1.

[13]) Cf. Seeliger l. l. 22, quocum non consentio.

operibus taceam, ex tribus tragoediis cognitum habebant: Choephoros Aeschyli et Sophoclis atque Euripidis Electras dico. qua de causa Euripides ex alia aliud repetere poterat. Electram nuntiis missis fratrem in Clytaemestram instigasse Tyndareus v. 615 sqq. insimulat: Electram Sophocleam hi versus redolent. Electra ipsa se matrem ferro aggressam esse v. 1235 gloriatur[14]); ad Euripidis Electram hoc referendum esse verba ipsa docent (cf. Or. 1235 *ἡψάμην δ' ἐγὼ ξίφους* cum El. 1225 *ξίφους τ' ἐφηψάμαν ἅμα*). contra aliis locis (cf. 33, 406, 767, 1074, 1089) Pylades Oresti necis Clytaemestrae illatae particeps fuisse perhibetur; quod cum mytho, qualis ante Euripidis Electram ferebatur, congruit. haec discrepantia quomodo explicanda esset, supra exposui (p. 50 sq.). Clytaemestram mammis nudatis filium infestum ad lenitudinem adducere conatam esse poeta in Oreste bis commemorat (527, 839 sqq.); respicit igitur Aeschyli locum celeberrimum (Cho. 896 sqq.) in Electra iam v. 1206 sq. expressum[15]). Orestes quod post caedem ensem cruentatum *εἰς αὐγὰς ἀελίοιο* monstravit (821 sq.), interpretes Aeschyli Choephoron versum 986 contulerunt, neque improbabiliter Wilamowitzius coniecit e poemate epico hoc fluxisse (Gr. Versk. 211, 1). Aegisthum denique prius quam Clytaemestram interfectum esse v. 562 legimus; veterem igitur necum ordinem a Sophocle ad Electrae fabulae rationem consulto inversum (cf. Rob., Heldens. 1312) ut in Electra ita in Oreste Euripides sequitur.

Priusquam de Apollinis vaticiniis dissero, superest, ut de Helena pauca dicam. magni enim momenti puto cognominem fabulam quattuor annis ante doctam ab Euripide in Oreste neglegi. Menelai errores leviter tantummodo perstringit (55 sq., 485), in Aegypto eum commoratum esse omittit[16]), quamquam de hac re Odysseae liber quartus multa tradit; quin etiam in vicem Protei, qui apud Homerum Phari Menelao futura praedicit (*δ* 354 sqq.), Glaucum ante Maleam promunturium e fluctibus emergentem atque Agamemnonis mortem fratri obnuntiantem inducit (362 sqq., cf. schol. 364). porro Helenae *εἴδωλον*, quod in Helena fabula adhibuit, non solum non commemorat, sed etiam eam ipsam Troiam esse vectam aperte dicit (78 sq., 246). neque abhorrent, quae Apollo v. 1639 sqq. profert, ubi istius *εἰδώλου* mentionem non facit, sed deos Helenae pulchritudinis ope, ut terram nimia hominum frequentia

---

[14]) Electrae haec verba attribuenda esse ex artificiosa versuum inter personas dispositione apparet, v. infra p. 78. praeterea etiam e versu 75 sequi videtur Electram sanguine matris contaminatam esse.

[15]) Haud scio an Aeschylus e poemate epico hoc sumpserit. certe Orestiae Delphicae rationem bene decet filium ne uberibus quidem matris, quibus olim alebatur, conspectis, ne deo dicto audiens sit, deterreri.

[16]) *Τροίας ἄπο* vel *Τροίαθεν* Menelaus reverti dicitur, cf. 53 et 357.

levarent, populos ad bellum incitavisse dicit; e Cypriorum prooemio (schol. Hom. A 5), quam traditionem Hel. 36 sqq. cum altera ad *εἴδωλον* pertinente conglutinavit, Euripides hoc sumpsit, nisi quod in Oreste non — sicut Cypria secutus in Hel. — Iovem, sed deos hoc fecisse narrat. Homeri igitur Helenam, non Stesichori depingit. quod cur fecerit, dubium non est: nam mulieri probae atque innocenti si Orestes et Pylades insidias fecissent, spectatores eos aversati essent favissentque Helenae. contra sub exitu huius tragoediae Euripides ad Helenam fabulam videtur reverti. quamvis enim prava sit Menelai uxor, tamen poetae est servanda, quia a mytho ac religione nimis abhorreret sororem Castorum, deam Doricam ab Oreste trucidari. itaque in fine fabulae mores eius antea in deteriorem partem descriptos esse neglegit eamque non modo a Phoebo gladio Orestis eripi, sed etiam in deorum numero collocari facit[17]. quod eam subito e conspectu ablatam attinet, Euripidem *εἰδώλου* illius Stesichorei memorem fuisse verisimile est; quae autem de Helena diva nautarum patrona 1636 sq. et 1687—90 leguntur, cum Helenae versibus 1667—9 consentiunt[18].

4. Sed quoniam unus ex Apollinis oratione locus quasi ultro ad tractandum nobis se obtulit, nunc ceteros examinemus. atque ordiamur a mandatis, quae Orestes accipit (1643 sqq.). quem Apollo in Parrhasiam se conferre ibique unum annum degere iubet; oppidum, in quo habitaturus sit, ex eo Oresteum nominatum iri. deinde Athenis in Areopago deos de eo esse iudicaturos; a quibus absolutum eum Argivorum regnum esse adepturum (cf. 1660 et 1664). — duas traditiones, alteram Atheniensem, alteram in Peloponneso vulgatam, ab Euripide hoc loco coniungi apertum est. quamquam non nimis apte hae duae fabulae conectuntur; quippe nec qua de causa Orestes, si nusquam nisi in Areopago paricidii culpa liberari potest, non statim Athenas proficisci iubeatur, nec quomodo Furiae eum, dum in Parrhasia versatur, non sint turbaturae, intellegimus. contra in Electrae exitu (1254—75) Castores Oresti imperant, ut cum Athenis liberatus discesserit, Arcadiam se conferat. qui ordo inversus magis

[17]) V. 1635 Euripides in etymo Iovis ludit: *Ζηνὸς γὰρ οὖσαν ζῆν νιν ἄφθιτον χρεών.* eadem Iovis originatio exstat apud Platonem Crat. p. 396 A. hanc illis temporibus — a sophistis scilicet — pervulgatam esse si putare nobis licet, in Troadibus quoque v. 770 sq. eam latere suspicor: negat Andromacha Helenam a ,Deo Vitae' prognatam esse, ut quae multis barbaris Graecisque necem attulisset. quam opinionem eo verisimiliorem esse existimo, quod etiam de aliorum nominum origine Euripides in Troadibus loquitur: 989 sq. de Veneris, 1079 sq. de Aetheris (cf. schol. Tro. 1079 et Wil., Gr. Versk. 169 sq.).

[18]) Salutem nautis eam ferre Euripides videtur solus tradere (cf. schol. 1637 et M. Haupt, Opusc. III 322 sq.). —— versum 1638 cum Wilamowitzio delendum puto; alterum Menelai matrimonium nusquam alibi occurrit.

placet, quia Orestes, etsi in Areopago Furias vicit, tamen ut matricida in patriam redire vetari potest.

Sed has duas traditiones accuratius contemplemur. Euripidem in tragoedia Athenis docenda eam mythi formam, quae Atheniensibus notissima erat, non neglexisse per se perspicuum est; at non optimos cives, ut Aeschylus Eum. 487, verum deos de Oreste in Areopago iudicantes fecit. qui autem sunt isti di? ne Minervam, quae Oresti calculum suum adicit, et Apollinem ei patrocinantem his versibus (1650—52) indiligentius comprehendi suspicemur, verbis dilucidis θεοὶ... ψῆφον διοίσουσι impedimur. en, duodecim deos qui vocantur de Oreste iudicium fecisse Demosthenes tradit (c. Aristocr. 66, cf. ib. 74); quos hoc quoque loco verbo θεοί significari verisimillimum est. ut haec traditio, quamvis Aeschyli Eumenidibus, fabulae summae ac clarissimae, repugnaret, tamen apud Athenienses plurimum valuerit, ex eo sequitur, quod Euripides cum leviter tantum hanc rem tangat, verba sua a spectatoribus recte intellectum iri opinatur[19]).

Cum hac traditione Atheniensi poeta, ut supra iam dixi, Peloponnesiaca quaedam coniunxit. Oresten in Parrhasia grandem natu morsu serpentis necatum esse Asclepiades rettulit (schol. 1645, p. 236, 18—20 et 237, 1), Pherecydes autem eum, cum Furiae persequerentur, in templum Ἀρτέμιδος Ἱερείας fugisse atque ab ea defensum esse perhibuit (ib. p. 237, 1—5 = F. Gr. Hist. 3 F. 135a). Orestis in Parrhasia mansionem ab Euripide solo in unius anni fines concludi scholiastes notavit, qui eum ἀπενιαυτισμοῦ[20]) morem respicere recte cognovit (ib. p. 236, 23 sq.). sed qua de causa Euripides in fabula in Athenarum scaenam deferenda traditionem in Peloponneso vulgatam cum Attica conglutinavit[21])? valde aliter haec res in Electra se habet, quod et regnum Argivorum in Oresten paricidio matris contaminatum transire ab illius tragoediae ratione ac consilio plane abhorreret et omnes quae de Oreste ferebantur fabulae, quamvis de modo expiationis graviter inter se discrepantes, tamen eum Furias effugisse consentiebant. itaque Euripidem in Electra non sine iusta causa fabulam Peloponnesiacam praeter Atticam adhibuisse concedendum est. at in Oreste maxime dat operam, ut spectatores Oresti faveant, Menelaum oderint; ergo si Orestes in exsilium eiceretur

[19]) Cf. El. 1258—64, ubi alium mythum atque Aeschylus — vetustiorem sane — adhibuit. ultima versus 1263 verba si, quamquam corrupta, recte percipio, hic quoque dei de Oreste iudicant (ceterum cf. εὐσεβεστάτη ψῆφος El. 1262 et Or. 1651).

[20]) Cf. Hipp. 34—37.

[21]) Iis, quae Thaddaeus Zielinski Trag. 311 exposuit, haec difficultas non tollitur.

sempiternum et Menelaus regnum Agamemnonis adipisceretur, huiusce modi exitus cum antecedente fabulae cursu non conveniret. cur igitur, iterum quaero, Orestes in cognomine fabula annum in Arcadia habitare iubetur? qua de quaestione Robertus B. u. L. 181, 30 sic existimabat: ‚*Ich denke, das erklärt sich, wenn sie* (sc. *die peloponnesische Version*) *in einer Dichtung vorkam, welche dem attischen Publikum lieb und vertraut war, und an die der Dichter selbst sich bei der Abfassung des Stückes anlehnt. Beides trifft für die Oresteia des Stesichoros zu*‘. et Wilamowitzius ei his verbis assensus est: ‚*Ich bin geneigt, die Gründung von Oresthasion, die Euripides im Orestes heranzieht, als stesichorisch zu glauben*‘ (Interpr. 192, 1; cf. etiam Seeliger l. l. 28 sq.). atqui quamquam his viris illustrissimis plurimum auctoritatis tribuo nec mihi ipsi ingratum accideret Euripidem hic quoque Stesichori vestigia premere, tamen ut cum iis faciam, a me non impetro. Stesichorum enim Orestiam Delphicam quam vocant secutum esse Wilamowitzius ipse probabat; Apollinem certe Oresti opitulatum esse e scholio 268 (v. supra) apparet. qua de causa Apollinis, non Dianae illius, quae cognomine Ἱέρεια appellabatur, erat Oresten expiare. quae cum ita sint, qua ratione Stesichorus fabulis illis in Peloponneso vulgatis uti potuit? num similiter atque Euripides duas mythi formas conexuit, i. e. Oresten postquam Delphis expiatus est, non Amyclas revertentem, sed in Arcadia morientem induxit? sed ut Stesichorus hanc traditionem adhibuerit, mirum est, quod scholiastes, quippe qui illum poetam saepius laudet, ad versus 1645 sqq. quospiam alios auctores, non Stesichorum affert. ‚fieri poterat, ut haec notula, cum scholia saepius describerentur et retractarentur, casu ac fortuito omitteretur‘, respondebunt. immo, fieri poterat; at Roberti coniectura, si ad has excusationes fugimus, verisimilior non redditur. verum haud scio an Euripides nulla alia re nisi quod Electrae quinque annis ante doctae memoriam tenebat, adductus sit, ut Parrhasiae mentionem Oresti insereret.

Sed cum certiora quam Robertus proferre nequeam, iam hanc quaestionem missam faciamus et de nuptiis inter Oresten et Hermionam iungendis agamus (1653 sqq.). prima specie forsitan mireris, quod Euripides diserte negat Neoptolemum Hermionam in matrimonium esse ducturum. diversa autem de Hermiona narrabantur (cf. Rob., Heldens. 1461): secundum Pelopidarum stemma Oresti nubit, apud Homerum (δ 4 sqq.) autem filio Achillis. quae duae fabulae — imprimis a tragicis, quantum videmus — ita copulabantur, ut Hermiona primum cum Neoptolemo matrimonio iungatur, deinde, postquam ille Delphis interfectus est, Oresti nubat (cf. Eur. Andr.). sed in fabula, de qua agimus, ut gratia inter Oresten et patruum eius reconciliata sanciatur, Menelaum ei filiam nuptum

dare oportet; Neoptolemo igitur hic locus non est. verum fabulae ad eum spectantes notiores erant, quam ut ab Euripide neglegerentur. itaque facere non poterat, quin eam traditionem, quae cum tragoediae ratione non conveniebat, aperte reiceret. praeterea plerumque Hermiona aut a patre, priusquam ille ad bellum Troianum proficisceretur (Andr. 966—70), aut a Tyndareo Menelao absente Oresti sponsa esse fertur; quod poeta in hac fabula ob eam causam reticuit, ne Orestes sponsae suae ense minitans crudelior atque atrocior videretur. porro de morte Neoptolemi pauca dicamus; quem Apollo gladio Delphico interfectum iri praedicit, cum a deo satisfactionem necis Achilli illatae postulaturus esset (1656 sq.). hoc ut cum Sophoclis Hermiona congruit (cf. Eustath. Od. p. 1479, 10), sic discrepat non solum a Pindari carminibus (pae. VI 117 sqq. et N. VII 40 sqq., cf. Wil., Pindaros 129—31 et 165), sed etiam ab Andromacha Euripidis, ubi Neoptolemus Phoebi placandi causa iterum Delphos profectus interficitur (cf. 50—55, 1106 sqq.). sed qua de causa Euripides in Oreste fabulae suae vetustiori aperte contradicit, quamquam, ut Zielinskii verbis (Trag. 44, 2) utar, ‚hic nullo negotio aut Neoptolemi excusatio retineri aut mortis eius causa taceri poterat‘? hoc equidem non, sicut ille vir doctissimus, ad conversam poetae in deum voluntatem referendum, sed ideo factum esse arbitror, quod Andromacham quippe Athenis non doctam (cf. Pohl., l. l. I 304 et II 85) minime respicere poterat.

5. Haec habui, quae de mythis in Oreste adhibitis disserere vellem. Euripides igitur — ut quae consecuti sumus colligamus — argumentum huius fabulae ipse excogitavit, ne Stesichorum quidem nisi in rebus quae parvi sunt momenti secutus. ubi autem in iis, quae ante fabulae initium facta sunt, non minus quam in iis, quae ab Apolline praedicuntur, e compluribus mythis Atheniensibus notis eligere poterat, eum nobis videbatur praetulisse, qui fabulae rationi maxime conveniret; unde ea, quae supra de poetae consiliis suspicati sumus, novis argumentis confirmata esse spero.

Epimetrum.

Quaestiones criticae.

Quoniam de ceteris quae ad Oresten fabulam pertinent quaestionibus pro virili parte egi, hoc epimetro locos quosdam accuratius tractare in animo habeo, non quo coniecturas proferre velim novas, sed quod eos a virorum doctorum coniecturis defendendos censeo[1]).

1. *De versibus 431—36.*

Versus 431—6, ut supra (p. 68) iam dixi, Carolus Robert B. u. L. 240 sq. delendos putabat, quod duobus de causis nec cum antecedentibus nec cum sequentibus convenirent. primum enim, ut ab argumento leviore incipiam, cum Orestes v. 436 dixisset *οὗτοί* (sc. *οἱ Αἰγίσθου φίλοι*) *μ' ὑβρίζουσ' ὧν πόλις τὰ νῦν κλύει*, Menelaum v. 437 quaerere nequire, concederentne cives illi potestatem regiam. atqui aliud est assectatores Aegisthi apud Argivos in magna potentia esse insolenterque Oresten miserum insequi, aliud regnum filio Agamemnonis a civibus publice abrogari, praeterquam quod Menelaum, quippe qui ipse fratris regnum appetat (cf. 1058 sq. et 1660), non dedecet de Orestis condicione pluribus verbis sciscitari. quo Roberti argumento dissoluto transeamus ad alterum. absurdum Roberto videbatur Menelaum v. 427, quod consilium cives de Oreste capturi essent, nescire itemque v. 441 interrogare, exsilione an morte eum multare in animo haberent, cum v. 431 Oresti exsilium imminere non ignoraret; eadem ratione, Orestes quae responderet v. 432 et v. 442, inter se discrepare[2]). sed etsi virum doctissimum difficultatem quandam, de qua criticos et interpretes omnino tacuisse miror, recte observavisse concedo, tamen in versu 431 intellegendo a vero eum existimo aberravisse. qui versus, quantum

[1]) Coniecturae, quibus Nicolaus Wecklein in commentatione quae ‚Textkritische Studien zu den griech. Tragikern' inscribitur (S. B. Bayer. Ak., phil.-hist. Kl. 1921, V) Oresten perfudit, dignae non sunt, quae refutentur.

[2]) Fugit Robertum non aliter etiam versum 441 versui 438 repugnare. plures igitur versus ei eiciendi fuerunt. sane Weilius versus 441 sq. in dubium revocavit (a. l.). sed hoc quoque cum e stichomythiae ratione tum e Menelai consilio intellegi potest. praeterea cf., quod Weilius de v. 731 et v. 757 ad 757 adnotavit.

equidem video, cum antecedente artissime cohaeret et eo spectat, quinam cives, ut Orestes expiatione prohiberetur, imprimis perfecerint. itaque nisi cum Weckleinio, mutationem lenissimam adhibentes, scribere volumus: *τίνες πολιτῶν σ' ἐξαμιλλῶνται στέγης;* verba tradita sic interpretemur: ‚quinam cives, sc. ab expiatione prohibentes, terra te expellunt? i. e.: quinam cives cogunt te e patria discedere, ut alibi reperias, qui te expiet?' si cui et haec interpretatio torta videbitur nec placebit Weckleinii coniectura, ipse emendet hunc locum, at minime deleat versus, qui dictionis Euripideae exempla prae se ferant. nam verbum *ἐξαμιλλᾶσθαι* (431), ut apud ceteros auctores Graecos usque ad Plutarchum non invenitur tragicique ceteri etiam verbum simplex evitarunt, ita Euripides et proprie dictum et audacter translatum adhibuit (cf. Hel. 387, ib. 1471, Or. 38, Cycl. 628, Hypsip. frg. 764 Nck.[2]). verbum autem *ἀναφέρειν* (432), quod in Oreste etiam v. 76 et v. 597, praeterea IT. 390, Ion. 827, Ba. 29 invenimus, Euripides unus e tragicis e sermone in iudiciis sollemni videtur sumpsisse[3]); nam oratores Attici saepius *αἰτίαν ἀναφέρειν εἴς τινα* sim. dicunt, cf. e. gr. Lys. 12, 28, id. 22, 8, Demosth. 28, 9[4]).

His omnibus perpensis versus a Roberto deletos genuinos puto.

2. *De versibus 1225—45.*

Precationem sollemnem, in quam episodium quartum excurrit, ab Euripide artificiose compositam vel viri tragicorum Graecorum peritissimi meo quidem iudicio falsa versuum inter personas distributione adeo corruperunt, ut quaestionem de hoc loco funditus instaurandam arbitrer[5]).

Cum in libris antiquis ii quibus alia persona loqui incipit loci pro personae nomine paragrapho plerumque notati sint, personarum notae, quae in codicibus Medio Aevo exaratis leguntur, nullius sunt momenti. eruamus igitur, quantum fieri potest, e versibus ipsis, quibusnam personis attribuendi sint. ac primum, nisi verbis, ut ita dicam, vim afferimus, apparet versus 1225—30 ab Oreste, 1231 sq. ab Electra, 1233 sq. a Pylada esse dictos. deinde versus 1235 a Oresti soli convenit, in medio autem versu 1235 et inter hunc atque insequentem ut personae mutentur, e verbis

[3]) Alterius speciei sunt Herc. 1221 et IT. 23, quibus locis nisus Wil. hoc verbum ad philosophorum sermonem rettulit (ad Herc. l. l.).

[4]) Quod exempla ex oratoribus quinti saeculi petita desunt, non mirabitur, quicumque plerasque quae exstant orationes Atticas quarto saeculo deberi reputaverit.

[5]) Cf. Pohl. l. l. II 128; praeterea vide, ut Arnimius hunc locum verterit. Adolfus Groß l. l. 54 sq. quamquam hos versus recte inter personas distribuit, tamen de compositione infeliciter egit. non omnes errores diserte refuto.

ἐγὼ δέ (vel δ' ἐγώ) sequitur; versus vero 1236 ab Oreste dici nequit, ergo aut versus 1235b Electrae et 1236 Pyladae aut 1235b Pyladae et 1236 Electrae sunt attribuendi. quam quaestionem in praesens tempus in suspenso relinquamus. tum partem priorem versus 1237 haud dubie Orestes dicit, alteram autem Electrae esse non minus est certum; etenim mutatio personae vocibus οὐδ' ἐγώ significatur, et Electram loqui e verbo προὔδωκα ob eam causam est colligendum, quod liberis Agamemnonis superstitibus Pyladae non erat eum ulcisci. post hunc versum rursus persona mutatur; sed uter loquitur, Orestes an Pylades? hunc cum plerisque editoribus propterea praefero, cum verba οὔκουν ...ῥύσηι τέκνα cum Pyladae ἔκσωισον τέκνα (1234) consentiant. quod denique ad versus insequentes pertinet, versus 1240 sqq. quin Pyladae sint, nemo potest dubitare; similiter in Aeschyli Choephoris chorus (510—13), in Sophoclis Electra (1335 sqq.) non minus quam in Euripidea (684, cf. Schad. l. l. 103, 3) Paedagogus germanos adhortantur, ut rem propositam aggrediantur. et cum versum 1239a alia dicere persona videatur ac 1238 et 1239b, alia quoque ac 1240 — nam Pylades 1240 aperte eos, qui has dimidiatas partes versus 1239 pronuntiarunt, compellat — de hac re solum dubitari potest, utrum 1239a Oresti et 1239b sorori an 1239a Electrae et 1239b illi attribuendi sint.

Quibus e verbis ipsis collectis iam ea, quae consecuti sumus, consummemus: dicunt

1225—30	Orestes	1231 sq.	Electra	1233 sq.	Pylades
1235a	Orestes	1235b	Electra (aut Pylades)	1236	Pylades (aut Electra)
1237a	Orestes	1237b	Electra	1238	Pylades
1239a	Orestes (aut Electra)	1239b	Electra (aut Orestes)	1240 sqq.	Pylades.

iam ex hac tabula patet hanc precationem in partes divisam esse quattuor, quarum in quaque tres personae alia post aliam loquuntur. in prima vero parte et tertia ordo personarum est hic: Orestes Electra Pylades. eundem ordinem in ceteris quoque partibus, etsi non sit necessarius, adhiberi tamen posse vidimus. et est ordo admodum ingeniosus; primus enim precatur Orestes, cuius ut ultoris Agamemnonis praecipue sit auxilium ab eo petere, secunda Electra, et ipsa ab illo prognata matricidiique adiutrix, tertius, post Agamemnonis liberos, Pylades, amicus eorum fidelissimus. —— itaque verisimile est etiam eos de quibus supra dubitabamus versus ita esse distribuendos, ut in altera quoque et quarta triade ordo personarum evadat idem. quod primum versum 1239 attinet, cum neutra distribuendi ratio argumentis confirmari possit, non habemus, quod eam repudiemus, qua si utimur, huius triados dispositio

cum primae et tertiae congruat. tum accedimus ad versus 1235b et 1236. si, ut congruentia aequalitasque postulat, versum 1235b Electrae et 1236 Pyladae attribuimus, Electra verbis *ἥψάμην δ' ἐγὼ ξίφους* ad ea, quae El. 1225 dixit *ξίφους τ' ἐφηψάμαν ἅμα*, alludit; Pyladae autem *ἐγὼ δέ γ' ἐπεβούλευσα* ad v. 1090 *καὶ πάντ' ἐβούλευσα* ... referri potest[6]. atqui aliter de his versibus iudicant Ioannes ab Arnim et Maximilianus Pohlenz. quorum hic Nauckii coniectura, quam in adnotatione refelli, recepta eam probat versuum inter personas distributionem, quam supra in tabula uncis inclusi. quamquam argumenta quae profert nulla sunt. nam Electram v. 1236 verbo *ἐπενεκέλευσα* ad *ἠγρίωσε* 616, verbis *κἀπέλυσ' ὄκνον* ad Clytaemestrae somnia 618 alludere Pohlenzio haud scio an nemo credat; iis vero, quae de Electra a sanguine matris pura disseruit, supra iam contradiximus (p. 50 sq.). restat, ut de Arnimii opinione paucis agamus. qui in Oreste a se conversa versum 1236 eiecit et versum 1238 Oresti, 1239a Electrae, 1239b Oresti attribuit. nec tamen cognosco, quid suspiciosi habeat versus 1236; versum 1238 autem Pyladae potius quam Orestis esse supra iam monui; sed cum ignoremus, quibus causis hic vir doctissimus adductus sit, hanc quaestionem missam faciamus.

Verum Pohlenzium et Arnimium etiam melius refutare possumus. nam ea quam nos defendimus versuum distributione adhibita symmetria nascitur artificiosissima: non solum in cunctis quattuor triadibus idem exsistit ordo personarum, sed etiam omnium versuum bipertitorum partes priores ab Oreste, alterae ab Electra dicuntur (1235, 1237, 1239), quin etiam trias secunda cum tertia ad amussim congruit. huc accedit, quod hae triades, quarum coniecturam adhuc e personarum tantum ordine fecimus, rebus quoque, de quibus hae personae loquuntur, confirmantur. quippe in prima ab Agamemnone subsidium petunt iure consanguinitatis (cf. 1226 *παῖς σός*, 1232 *τέκνων καλούντων*, 1233 *ὦ συγγένεια πατρὸς ἐμοῦ*), in altera gloriantur se caedis Clytaemestrae illatae participes fuisse, in tertia Agamemnoni aperte obiciunt, quae eius gratia fecerint, in quarta Orestes Electraque misericordiam eius captant, cum Pylades precationem abrumpat.

---

[6]) *δ' ἐπεβούλευσα* quod traditum est, numeris repugnat; locum nondum persanatum ex analogia Porsoni coniecturae e. gr. supplevi. Nauckius coniecit *ἐπενεκέλευσα* collato El. v. 1224; verum qua ratione ex eo, quod Or. v. 1235 Electrae versus 1225 respicitur, sequatur, ut etiam Orestis versus 1236 ad El. v. 1224 referendus sit, non intellego, praeterquam quod in El. *ἐπεγκ.* ex coniectura tantummodo legitur. immo nihil habemus, quod verbum *βουλεύειν* a codicibus traditum omnino spernamus, siquidem vel particula addita vel alio huius verbi composito adhibito numeris satisfacere possumus. nihil enim contra codicum M A L P consensum Parisino 2713, qui *δ' ἐπεκέλευσα* praebet, esse auctoritatis scit, quicumque textus historiam quam vocant cognitam habet.

ceterum triades pleraeque a Pylada ita concluduntur, ut eius oratio tamquam epodus strophas Orestis Electraeque excipere videatur. quod, si formam respicis, imprimis 1235 sq. et 1237 sq. apparet, sin autem sententias, in fine primae et tertiae et quartae triados: 1234 et 1238 Pylades germanorum preces comprehendit (*ἔκσωισον τέκνα* et *οὔκουν ὀνείδη τάδε κλύων ῥύσηι τέκνα;*), 1240 supplicium totum adhortatione operis aggrediendi terminat. ceterum haec precatio ut a sex versibus Orestis incipit, ita in sex versus Pyladae exit: longioribus igitur orationibus exordium ac conclusio ab iis, quae media sunt, distinguuntur. his cognitis num eos sequendos putas, qui versibus sine idonea causa aliter inter personas distributis hanc compositionem sollertissimam prorsus corrumpunt?

Attamen quaestionem nondum absolvimus. apparet enim Euripidem eam Electrae suae scaenam imitari, ubi Orestes Electra Paedagogus supplicium faciunt (671 sqq.). sed antequam hos locos breviter comparemus, monendum videtur in Oreste etiam ea, quae precationi antecedunt, inde a versu 1100 ad exemplum Electrae Euripideae esse condita[7]): sicut in Electra primum Paedagogus Oresten docet, quomodo Aegisthus interfici possit, tum Electra consilium in Clytaemestram concoquit, ita in Oreste primum Pylades insidias Helenae, tum Electra Hermionae parandas suadet; in utraque fabula Orestes nullius consilii auctor est, sed ab aliis docetur, in utraque fabula deliberationem sequitur precatio, qua facta viri Electram relinquunt. — nunc demum haec supplicia conferamus[8]). item atque in Oreste in Electra quoque triades quattuor distingui possunt[9]), in quibus cunctis ordo personarum idem videtur esse: Orestes Electra Paedagogus; item atque in Oreste hae triades sententiis differunt, cum in prima Iuppiter, in secunda Iuno, in tertia Agamemno et Terra, in quarta manes omnes invocentur; item denique atque in Oreste Pylades, hic Paedagogus singulas triadas concludit: ter (673, 676, 679) germanorum preces ita complectitur ut ille Or. 1238. etiam exitus precationis simillimus est; nam in utraque fabula persona tertia — Paedagogus sive Pylades — preces praecidit commonens, ut cum satis precati sint, opus aggre-

---

[7]) Hanc similitudinem utinam ii observavissent, qui Euripidem in Oreste Electram suam respicere praefracte negaverunt.

[8]) Quanta est sagacitate, Schadewaldtius l. l. 103 sq. de his locis Euripideis et Aeschyli Choephoris egit; quae non repeto. ea tantum attingo, quae ad Orestis scaenam recte disponendam valent.

[9]) Pravam versuum distributionem, quam exhibent codices, correxerunt Kvíčala et Murray, quibus assensus est Schadewaldtius l. l. 103, 3. nec tamen intellego, qua de causa Murray aequalitate turbata triados secundae versum primum Electrae, alterum Oresti attribuerit; immo versum 674 Orestis, 675 Electrae esse persuasum habeo.

diantur (El. 684, Or. 1240—42[10]). eas autem res, quibus hae scaenae differunt, vix est quod enumerem: in Electra varios deos adorari, in Oreste Agamemnonem solum; illic stichomythiam esse, hic modo complures modo singulos modo dimidiatos versus singulis personis attribui; illic Paedagogum, postquam triade quarta perfecta Electra denuo verba fecerit, precationem abrumpere, cum in Oreste Pylades in fine huius triados pro precibus, quas dicere debeat, adhortationem proferat. at his omnibus discriminibus similitudo harum scaenarum minime tollitur.

Ceterum Euripidem in Electra Aeschyli Choephoron versus 456 sqq. et 479 sqq. imitatum esse multi iam viderunt. quibus duobus locis Aeschyleis ordo personarum firmus invenitur: priore enim bis Orestes Electra chorus cuncti loqui videntur, altero autem Orestes et Electra alternis vicibus orant, ubi has dyadas etiam sententiis distinctas esse maximi est momenti (cf. Wil., Cho. p. 204). nempe non libero arbitrio tragici precationes ita conformarunt, sed quod in eiusmodi obsecrationibus sollemne erat orantes preces alternare (cf. quae Großius l. l. 96 sqq. congessit).

Itaque ea quam nos probavimus versuum distributio non solum per se est verisimilis, sed etiam Electrae exemplo confirmatur, immo vero postulatur ritu.

3. *De versibus 1284—85.*

Versui 1284 Wilamowitzius notam chori praefixit, ut versus in antistropho aeque distribuerentur atque in stropha; equidem vero versus 1284—5 Electrae continuandos censeo. etenim si cum illo facimus, Electra de eo, quod auscultans cognovisse sibi videtur, nihil dicit. nec fieri potest, ut chorus ad parodos dispositus in aedes vocem mittat; nam versibus 1284—5 sive Electram seu chorum Oresten et Pyladen vere alloqui neque illos, sicut saepius personas a scaena absentes (cf. e. gr. 130), quasi rhetorice compellare e verbis *οὐκ εἰσακούουσ'* (1286) apparet. ergo hic locus sic se habet: Electra, postquam auscultans nihil audivit, ex quo suos Helenam aggredi cognosceret, impatiens morae quaerit, qua de causa cunctentur (1284—5); cui interrogationi cum nullum ex aedibus responsum datum sit, queri incipit (1286 sqq.). itaque si Electrae soli hi versus conveniunt, concedere debemus versus in strophis varie distributos esse, quod alibi quoque occurrit (cf. e. gr. quae Wil. in Aeschyli edit. mai. ad Pers. 954 adnotavit).

---

[10]) *εἴπερ* Or. 1241 non esse dubitantis iam El. v. 684 collato apertum est; vertere possumus: *‚so gewiß die Gebete in die Erde dringen, hört er'*.

4. *De versibus 1587—88.*

Versus 1587—8 si cum Wilamowitzio eicis, propter verborum *παῖδα* (1586) et *μητέρος* (1589) propinquitatem fieri non potest, quin versus 1589 ad caedem Helenae referatur; Orestes autem, si hunc versum ita interpretamur, v. 1590 concedit se Helenam interemisse. sed cum 1580 sqq. eam interfectam esse aperte denegarit, haec interpretatio ferri omnino nequit. sin autem versus 1587—8 servamus, matricidio Orestis commemorato versus 1589 ad Clytaemestrae necem spectat (de *παρόν* cf. Herm. a. l.). itaque vel hanc ob causam hos versus pernecessarios puto. huc accedit, quod iis deletis versuque 1589 ad Helenam relato versum 1590 de Hermiona quoque dictum putare cogimur; attamen neque ullo eam Orestes iure malam appellare potest nec credibile est poetam brevi ante, quam Oresti eam nuptum det, a sponso futuro eam tam acerbe vituperari fecisse. contra versibus istis servatis malae dicuntur Clytaemestra et Helena, cum de Hermiona non sit cogitandum.

Vita auctoris.

Natus sum Vernerus Krieg Halis Saxonum Id. Iun. a. 1908 patre Gustavo matre Hadviga e gente Brinck, quos superstites adhuc esse gaudeo. fidei addictus sum evangelicae. litterarum rudimentis imbutus vere anni 1918 gymnasium adii oppidanum Halense, ubi praeter ceteros cum Ioannes Krüger et Ioannes Siebert tum Carolus Röhrscheidt, qui tunc huic scholae praeerat, optime de me meriti sunt. testimonium maturitatis tempore paschali anni 1927 adeptus ad philologica studia me contuli, in quae adhuc incumbo. aestates annorum 1928 et 1929 Almae Matris Philippinae, cetera semestria Fridericianae alumnus fui. postquam morbo gravissimo affectus totam hiemem anni 1930 exeuntis et 1931 ineuntis studia intermittere coactus sum, Kernio moderatore hanc dissertationem confeci, quamvis molestissimis morbi impetibus iterum iterumque impeditus.

Docuerunt me imprimis Marpurgienses Friedländer (nunc Halensis) Lommatzsch Rohde Wrede, Halenses Baesecke Diehl Karo (nunc Atheniensis) Kern F. I. Schneider Specht Weber (nunc Berolinensis) Ziehen (nunc Mattiacensis). sodalis fui seminarii philologorum Marpurgiensis unum, Halensis duo semestria. omnibus vero viris doctis, qui mihi erudiendo operam dederunt, semper gratiam me habiturum esse polliceor, imprimis autem Ottoni Kern, qui, quanta est erga adulescentes verae humanitati deditos benignitate, studiis meis omni tempore favebat necnon in hac dissertatione conscribenda comiter me adiuvit.